




HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



JAHRESBERICHT

über das

K. K. STAATSGYMNASIUM

im II. Bezirke in Wien

Taborstraße Nr. 24

für das Schuljahr 1889|90.


Veröffentlicht

von

Dr. J. Huemer
k. k. Director.

INHALT:

WIEN.
Im Selbstverlage des k. k. Staatsgymnasiums im II. Bezirke.
1890.


HARVARD COLLEGE
OCT 1 1895
LIBRARY.

De imitatione Horatiana in Senecae canticis chori.

Ad hoc negotium subeundum incitatus sum verbis viri clarissimi, Martini Hertzii, qui in Analectis ad carm. Horat. hist. II. pag. 12, Vratislaviae 1878 opera Zingerlii in ea re optimo iure collaudata dixit: „At ne hic quidem totam hanc materiam absolvit, quae iterata indagatione non indigna est.” Itaque, ne angustos programmatis fines transeam, ego quantum Seneca fructum ex operibus Horatii ceperit, demonstrabo et materiam, quae quidem ad imitationem Horatianam in canticis chori illustrandam pertineat, quam copiosissimam iis congeram, qui Senecae tragoediis aliquando cum notis edendis operam dare velint. Etsi in ea re quam difficile sit disceptare, utrum certo consilio imitatio facta sit necne, haud ignoravi, tamen opera Horatii summam vim ad componenda illa cantica habuisse mihi demonstrasse videor.

Citati sunt loci Horatii ex editione Luciani Muelleri, Senecae ex Friderici Leonis.

Scripsi Vindobonae Kal. Ian. 1890.

Dr. I. Spika.

I. Hercules Furens.

I. canticum anapaesticum v. 125–204.

Nullum canticum ex omnibus, quae in tragoediis vulgo Senecae attributis leguntur, hoc refertius est imitationis testimoniis iisdemque tam manifestis, ut iam A. Zingerlius, qui primus accurate post Paldamum 1851 de imitatione Horatiana apud Senecam in libello: „Zu spätern lateinischen Dichtern” 1873 quaestionem habuit, non paucos locos Horatianos ad imitationem demonstrandam attulerit. Quam rem non tam miram putabis, si Senecam

in hoc cantico tribus illis celeberrimis Horatii sententiis: de vita divitum haudquaquam beata et de bonitate vitae obscurae ac tranquillae, denique de morte abundanter usum esse reppereris. Quo autem facilius imitatio Horatiana perspiciatur, materiam secundum tres illas sententias distributam tractabo ita, ut, quantum fieri possit, primum sententias, deinde verborum coniunctiones, postremo singulas voces, quas Flaccus adhibuerit quasque Annaeus imitatus sit, ordine exponam. Sed iam ad sententiam de vita divitum, quantopere Seneca ea usus sit, demonstrandam accedamus.

Itaque versibus 162—163 *spes immanes urbibus errant trepidique metus*, quibus magna similitudo sententiae est cum Hor. epist. II. 2. 85, *fluctibus in mediis et tempestatibus urbis*, breviter attactis primos versus, quibus ambitio castigatur, inspiciamus. V. 169—171 *illum populi favor attonitum fluctuque magis* ***mobile vulgus*** *— aura tumidum* ***tollit*** *inani* praeeunte Zingerlio et sententia et verborum coniunctione similes invenio Hor. I. 1. 7 *hunc si* ***mobilior turba*** *Quiritium — certat tergeminis* ***tollere*** *honoribus*. Atque Horatianam verborum coniunctionem sibi indulsit et amplificavit v. 164—165 *ille* ***superbos aditus regum*** *— durasque fores expers somni — colit* ex Hor. epod. 2, 7—8 Badeno monstrante ***superba civium potentiorum limina*** et ibidem verbis *forumque vitat*, quae Mitscherlichius in editione Horatii bene comparat cum Senecae v. 172—174 *hic clamosi rabiosa fori — iurgia vendens improbus iras et verba locat* nimis luxuriantibus. Pariter Badenus in editione Senecae tragoediarum ad v. 166—167 *hic nullo fine beatas — componit opes gazis, inhians* attulit Hor. I. 29. 1 *beatis nunc Arabum invides gazis* quod exemplum, si fieri posset, inter imitationes singularum vocum adnotare mallem. Zingerlius recte comparat Hor. sat. I. 1. 70 *congestis undique saccis indormis inhians*. Badenus versus, qui sequitur, sententiae 168 *et congesto pauper in auro* auctorem dixit recte Horatium III. 16. 28 *magnas inter opes inops*.

Versibus, qui sequuntur 174—178, Annaeus vere aequum animum ac quietum non nisi ab iis, qui vita tam brevi laeti fruantur, possideri canentem chorum inducit, quam sententiam unam ex frequentissimis Horatianis esse nemo ignorat. Tamen ex tanta similium locorum multitudine hunc Senecae locum non nisi ex Hor. I. 11. 7—8 sumptum esse persuasum habeo.

Hor. I. 11. 7—8 *dum loquimur, fugerit invida aetas* (α); *carpe diem quam minimum credula postero* (β).

Sen. v. 174—178 *novit paucos — secura quies, qui velocis memores devi tempora numquam — reditura tenent* (α). *Dum fata sinunt — vivite laeti* (β).

Praeter v. 178, quo poeta ad vitam cum voluptate fruendam adhortatur, multi sunt apud Horatium similes veluti I. 7. 17 *sic tu sapiens finire memento — tristitiam vitaeque labores — molli, Plance, mero;*

I, 9, 13 sqq. *quid sit futurum cras, fuge quaerere et — quem fors dierum cumque dabit lucro — adpone nec dulces amores sperne puer neque tu choreas etc.;* pariter totum carmen *Tu ne quaesieris etc.;* I. 18, *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem* etc. multique alii loci, quos hic enumerare longum est.

Sententiam de beata pauperum suaque sorte contentorum vita inde a v. 112 tractavit, maxime autem v. 195 huc spectat, qui mihi ex Hor. II. 16. 35 adumbratus esse videtur.

Hor. II. 16. 35 sqq.: *te bis Afro murice tinctae — vestiunt lanae; mihi parva rura etc.*

Sen. 195 sq.: *me mea tellus — lare secreto tutoque tegat.* Deinde v. 199 et 200: *humilique loco sed certa sedet — sordida parvae fortuna domus* conferas cum Hor. II. 10. 5 sqq.: *Auream quisquis mediocritatem diligit, tutus caret obsoleti sordibus tecti,* quem locum Senecam in mente habuisse ipsa vocabula adhibita testantur.

Venimus nunc ad sententiam de mortis potentia ac crudelitate, qua in re, etsi eam sententiam admodum vulgarem esse constat, tamen Horatium a Seneca optime spoliatum esse concedes. Atque hic Annaeo tam magna materia ab Horatio ipso congesta in promptu fuit, ut in tot et tam similibus locis, qui conferenti tamquam sua sponte offeruntur, apud Horatium exstantibus vix unum alterumve monstrare possis, quem Senecam solum imitandum sibi proposuisse pro certo adfirmes. Sed quod verisimillimum mihi visum est, adfero.

Itaque quod ad v. 181—184 *durae peragunt pensa* **sorores** *nec sua retro* **fila** *revolvunt* pertinet, sententiae figura et singulis vocabulis adhibitis non nisi ex Hor. II. 13. 15—16 sumptos esse constat *dum res et aetas et* **sororum fila** *trium patiuntur atra.* Versus autem 188—189: *certo veniunt tempore Parcae — nulli iusso cessare licet,* quod omnibus mortem exspectandam esse significant, eodem redeunt quo Horatiani v. I. 4. 16 *Pallida mors aequo pede pulsat pauperum tabernas regumque turres* et II. 1. 14: *aequa lege Necessitas sortitur insignes et imos* et II. 3. 24 *omnes eodem cogimur, omnium versatur urna serius ocius etc.* et I. 28. 20 *Nullum saeva caput Proserpina fugit* et II. 18. 32 sqq. *Aequa tellus — pauperi recluditur regumque pueris.* Tropum autem in v. 191 *recipit populos urna citatos* Seneca aperte sumpsit ex Hor. II. 3. 26 *versatur urna serius ocius* et III. 1. 16 *omne capax movet urna nomen,* quae exempla, quamvis singulorum vocabulorum imitationem ostendant, tamen, ne similia nimis distrahantur, hic colloco.

Deinde v. 192—196 *Alium multis gloria terris — tradat et omnes fama per urbes — garrula laudet caeloque parem — tollat et astris; alius* **curru** *— sublimis eat* potissimum propter versum 195 composuisse Annaeum putaverim imitatum hunc locum Hor. I. 1, 3 sqq.: *Sunt quos* **curriculo** *pulverem Olympicum — collegisse iuvat metaque fervidis — evitata rotis palmaque nobilis — terrarum dominos evehit ad deos.*

Conferas etiam Hor. IV. 3. 4—5 *non equus impiger — curru ducet Achaico — victorem*. Sed iam ad verborum coniunctiones a Seneca retentas vel paulo imminutas aggrediar, quarum cum iam supra me plurimas tractare oportuerit, exempla referenda sunt pauca.

Ita v. 139—140 *Pastor gelida* **cana pruina** *— grege dimisso pabula carpit* propter similitudinem vocabulorum et sensus adumbrati esse videntur ex Hor. I. 4. 4 *Nec prata* **canis** *albicant* **pruinis;** haud secus v. 142 **nondum rupta fronte** *iuvencus* conferri debet cum Hor. III. 13. 3—5 *Cras donaberis haedo, — cui* **frons turgida cornibus** *primis etc.* Eadem locutio, quae in v. 194—195 *caeloque* **parem** *—* **tollat** *et* **astris** occurrit, occurrit praeter alios poetas apud Horatium sat. II. 7. 29 *urbem* **tollis ad astra** Postremo ad v. 169—171 *illum populi favor attonitum — fluctuque magis* **mobile vulgus** *— aura tumidum tollit inani* iam Zingerlius l. c. pag. 13 bene adnotavit Hor. I. 1. 7—8 *Hunc si* **mobilium turba** *Quiritium — certat tergeminis tollere honoribus.* Versus autem 185 **Stygias** *ultro quaerimus* **undas** admonet legentem Hor. II. 20. 8: *Nec* **Stygia** *cohibetur* **unda.**

Singula denique vocabula a Flacco adhibita paulo immutata retinentur a Seneca haec: in v. 179 **volucrique die** plane mutuatus est Seneca ex Hor. III. 28. 6 *ac veluti stet* **volucris dies** *— parcis deripere horreo — cessantem Bibuli consulis amphoram,* quem locum iam adnotavit Badenus. Equidem adnotaverim etiam Hor. IV. 13. 16 *tempora inclusit* **volucris dies.** Vocabuli imitatio etiam in v. 188 **certo** *veniunt ordine Parcae* est collato cum Hor. epod. 13. 15 **certo** *subtemine Parcae* et fortasse in v. 198 *cana senectus* collato cum Hor. I. 9. 17 *canities morosa* et III. 14. 25 *albescens capillus.*

Hercules Furens.

II. canticum asclepiadeum v. 524—591.

Hoc carmen continuato versu asclepiadeo compositum partes habet duas, quarum altera Fortunae adversus homines fortes invidia laboribus Herculis, altera vis carminum exemplo Orphei illustratur. Canticum vero ipsum ita instruxit Seneca, ut ex tribus illis (I. 1, III, 30, IV, 8) Horatii carminibus per systema asclepiadeum primum compositis id, quod extremo nominavimus loco, adhiberet, unde sententiam alterius partis sumeret, qua poeseos vis describeretur (569—591). Imitatio vero Horatiana non solum ex universa cantici sententia, quam Horatio debet Seneca, sed etiam ex plurimis locutionibus ex Horatii sive Carminibus sive Epodis desumptis cognoscitur. Qua in re accidit, ut id, quod uno vel paucis verbis Horatius dixit, nonnumquam Seneca verbis extolleret et, qua erat in rebus describendis ubertate, exemplis abundanter augeret, quam rem

ut uno solum exemplo demonstrem: ab Hor. IV. 8. 29—30 voce *sic Iovis interest — optatis epulis impigerHercules* exorsus priorem, quam supra ostendi, cantici partem 533—568 totam enarrando Herculis labores, quos ille aut in serpente Lernaeo 529 domando aut in pomis illis Hesperidum surripiendis 530—533 aut in Scythia, cuius terrae natura huic loco minus convenienter describitur, cum Amazonum regina dimicans 542—546 aut apud inferos 547—568 perpessus est, composuit. Itaque cum ex Horatii carminibus per systema asclepiadeum compositis nihil nisi sententiam, quam sequeretur, in cantico perficiendo sumpsisset, Seneca ex aliis Horatii carminibus vatem illum Venusinum vel singulis vocabulis vel locutionibus vel dictis per complura verba, immo vero per singulas strophas ab Horatio comprehensas secutus est ita, ut, quae Horatius dixit, aut minima dictionis mutatione plane describeret aut aliis significationibus usus modo amplificaret atque exemplis augeret, modo paucis verbis redderet. Sed iam ei imitationis generi, quo singulae Horatii voces a Seneca aut iisdem fere verbis aut mutatis significationibus, sed semper ita, ut haud facile conspectum scrutantium effugiant, redditae sint, haec attribuo.

V. 533 *Intravit* ***Scythiae multivagas domos*** Senecam constat mutuatum esse ex Hor. III. 24. 10 ***Scythae*** *— quorum plaustra* ***vagas*** *rite trahunt* ***domos*** Eadem ratione usus est in v. 549 *vidisti Siculae* ***regna Proserpinae,*** cuius voces ex Hor. I. 13. 21 *quam paene furvae* ***regna Proserpinae*** *— et iudicantem vidimus Aeacum* desumptae sunt. Sequentia Horatii verba profecisse Senecae manifestum est ex altera cantici parte. — Singulis vocibus, quas Horatius adhibuit, Seneca utitur in v. 535 *calcavitue freti terga rigentia* cf. Hor. I. 25. 16 *et calcanda semel via leti*, quamquam vocabulum calcandi apud poetas Latinos non inusitatum est. *Freti terga rigentia* commonefaciunt id, quod de incolis eius regionis Horatius dicit IV. 5. 25 *quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen.* Sed id iam est exemplum generis alterius imitationis, quo singulae Horatii voces a Seneca obscuratae redduntur veluti in v. 554 *stat* ***nigro*** *pelagus gurgite languidum* mutatis coloris et stagni inferni appellationibus legimus ex Hor. II. 14, 17 desumptum *visendus* ***ater*** *flumine languido Cocytos errans.* Minoris momenti est, quod v. 578 *deflent et lacrimis* ***difficiles*** *dei* idem epitheton Penelopae datum invenimus Hor. III. 10. 11 *non te Penelopen* ***difficilem*** *procis.* Item v. 558 *evincas utinam* ***iura*** *ferae Stygis* idem de eadem re vocabulum „iura" dictum est Hor. 28, 62 *fors et debita iura vicesque superbae — te maneant ipsum.*

Parva mutatione obscuratae Horatii voces occurrunt in v. 557 *uno tot populi remige transeunt* scilicet aquam, quae vocata est ab Hor. II. 14, 9 *omnibus unda enaviganda.* Deinde ex hisce Horatianis versibus II. 6, 9 *unde si Parcae prohibent iniquae* et epod. 13, 15 *unde tibi reditum certo subtemine Parcae — rupere* Seneca composuisse videtur v. 559 *Parcarumque colos non revocabiles.*

Venimus nunc ad id genus imitationis tractandum, quo Horatii sententia compluribus verbis comprehensa a Seneca aut breviter reddita aut eodem fere modo adumbrata est. In versibus 552—553 *non illic geminum Tyndaridae genus — succurrunt timidis sidera navibus* recognoscimus verba Horatii I. 12. 25—32 accuratius exculta [*Dicam et Alciden pueroѕque Ledae — hunc equis, illum superare pugnis — nobilem; quorum simul alba nautis — stella refulsit, — defluit saxis agitatus humor, — concidunt venti fugiuntque nubes — et minax, cum sic voluere, ponto — unda recumbit.*] nec verba ab *defluit* usque ad *recumbit* potentiam Tyndaridarum declarantia a Seneca uno vocabulo *succurrunt* reddita esse quisquam negabit.

Partem, quae de vi carminum est, cantici posteriorem eandem fere speciem praebere atque Horatii versus I. 12. 7—12 iam supra adnotavimus. Accedit vero, quod Senecae versus 572—576 mirum in modum cum Horatianis illis consentiunt.

Unde vocalem temere insecutae — Orphea **silvae** *—* [**Arte** *materna rapidos* **morantem** *— fluminum lapsus celeresque ventos — blandum et auritas fidibus canoris — ducere quercus*]; quae verba utrum recte an perperam Horatio abiudicatae sint, fortasse eo diiudicari potest, quod Seneca hunc habet verborum ordinem v. 572—576: *quae* **silvas** *et aves saxaque traxerat —* **ars,** *quae praebuerant fluminibus* **moras,** *— ad cuius sonitum constiterant ferae, — mulcet non solitis vocibus inferos — in surdis resonat clarius in locis.* Certe iam Senecam hanc Horatii stropham impugnatam novisse apparet.

Ferae v. in 574, quae hoc Horatii loco non commemorantur, nominantur Hor. epist. II. 3. 393 *Orpheus — dictus ab hoc lenire tigres rabidosque leones,* pro quibus Seneca nomen appellativum *ferae* adhibuit. Eodem Horatii loco, qui de Amphione est, facultas data est *saxa* commemorandi cf. ibid. v. 395 *saxa movere sono testudinis et prece blanda — ducere, quo vellet.* Itaque solae *aves* Senecae sunt. In re tam libenter ab Horatio tractata non mirum est, quod locus invenitur, qui huic Senecae paene respondeat et magnitudine locutionis et verborum delectu. Est autem Hor. III. 11. 13—14 *Tu potes tigres comitesque silvas — ducere et rivos celeres morari.* Denique ab hoc loco non alienum videtur adfirmare vocem *carmine* in v. 590 codicibus EV praebitam [cantibus A] aliquod firmamentum recipere ex Hor. III. 11. 24 de eadem re dicente *carmine mulces.*

Hercules Furens.

III. canticum sapphicum et glyconeum v. 830—894.

Hoc quoque in cantico Seneca et sententiis, quas carmini suo tamquam fundamentum subiceret, et singulis locutionibus et vocabulis Horatium ducem secutus est. Sententia vero Horatii, quam secutus Annaeus

totum canticum composuit, investigari non potest. Quae res, cum ipsum canticum ex duabus partibus et sententia et colore et metro inter se discrepantibus constet, minime est mira. Tamen in priore cantici parte versibus 830—875 composita, qua Herculem ad inferos descendentem celebrat eximiamque viae infernae frequentiam cum ea, quae in pompa Eleusinia esse solebat, Seneca comparat, versus 864—874 sunt, qui, quod ad similitudinem sententiae attinet, ad nonnullos Horatii versus quadrant.

Conferas ad voces electas et structuram adhibitam Senecae v. 865—866 *nemo ad id sero venit, unde numquam, — cum semel venit, potuit reverti* Hor. I. 4. 15—18 *Vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam. Iam te premet nox fabulaeque manes* [cf. v. 869 *ibit ad manes* et v. 835 *ducit ad manes.] et domus exilis Plutonia; quo simul mearis* etc., deinde Hor. I. 3. 32 *summotique prius tarda necessitas etc.*, I. 28. 19 sq. *mixta senum ac invenum densentur funera etc.*, Sen. ibid. v. 870 *tibi crescit omne, — et quod occasus videt et quod ortus . . . tibi mors paramur.* — Magis ad iustitiam Mortis pariter omnis aetatis atque ordinis homines persequentis quam ad numerum eorum, quibus moriendum est, describendum apti sunt Horatii versus II. 3. 21—24 *Divesne prisco natus ab Inacho — victima nil miserantis Orci* et sq. 25—28 *omnes eodem cogimur* (cf. Sen. ibid. v. 868 *ibit ad manes etc.) omnium versatur urna serius ocius . . . . . . cumbae.* Addiderim numeri explendi causa Hor. II. 14. 9—12 *conpescit unda . . . . enaviganda* cf. Sen. ibid. 869 *facietque inerti — vela Cocyto* et Hor. ibid. v. 18, *Cocytos errans;* Hor. II. 18. 29 sq. *nulla certior tamen rapacis Orci fine destinata — hic superbum* etc.; Hor. III. 24. 8 *non mortis laqueis expedies caput.* Omnibus illis et Horatii et Senecae locis sententiam quasi praescriptam putaverim verba Hor. III. 1. 16 *omne capax movet urna nomen.*

Alterius partis cantici sententiam tamquam regnantem quaerenti nullum Horatii carmen et consilio et colori Senecae versuum 875—894 similius occurret quam I. 37 *Nunc est bibendum* etc. scilicet, si quis sola occasionis similitudine adductus moris Graecorum et Romanorum in supplicationibus diversitatem et maxime solutiorem ineuntis versus Horatii habitum *(nunc est bibendum)* neglexerit. — Venimus nunc ad singulas locutiones ex Horatio desumptas. Versibus 838 sq. *Quantus incedit populus per urbes — ad novi ludos avidus theatri* in mentem nobis revocatur Hor. Epist. II. 1. 60 *et hos arto stipata theatro — spectat Roma potens* et Hor. Od. II. 17. 25 sq. *cui populus frequens — laetum theatris ter crepuit sonum.* Eundem modum plagarum significandarum quem in v. 883—887 *Auroram inter et Hesperum — et qua sol medium tenens — umbras corporibus negat; quodcumque alluitur solum — longo Tethyos ambitu,* ubi *Aurora,* quae vox apud Horatium non reperitur, pro regione solis orientis, *Hesperus* non convenienter Horatii usui pro occidentis regione positum est, invenimus et Hor. III. 53—56 et III. 14. 36. Tethyos nomen pro mari excepto Catullo 88. 5 demum a poetis post Augusti aetatem adhibitam esse

ostendit Hauptius Opusc. 2. 74. — Versibus 852 et 853 *virgines nondum thalamis iugatae — et comis nondum positis ephebi* admonemur Hor. I. 21. 1 sq. *Dianam tenerae dicite virgines — intonsum pueri dicite Cynthium* et versus ceterum corrupti Hor. III. 14. 10 sq. *Vos, o pueri et puellae — iam virum expertae* (pro „*expertes*") etc. Verbum iugandi semel eiusdem significationis adhibuit Hor. carm. saec. 18 *Prosperes decreta super iugandis feminis.* Denique conferas v. 877 *pingues caedite victimas* et Hor. II. 17. 30 *reddere victimas aedemque votivam memento;* v. 880 sq. *cessent deposito iugo — arvi fertilis incolae* et Hor. III. 6. 42 *iuga demeret bobus fatigatis;* v. 882 *Pax est* ***Herculea manu*** et Hor. II. 12. 6 *Hyleum domitosque* ***Herculea manu.*** Superest, ut addam v. 892 *nil ultra iacet inferos* adumbratum esse ex Hor. epist. I. 16. 79 *mors ultima linea rerumst* et v. 893 et 894 *Stantes sacrificus comas — dilecta tege populo* ex Hor. Od. I. 7. 23 *Tempora populea fertur cinxisse corona.* Adiectivo *Eleus,* quod semel Hor. IV. 2. 17. adhibuit, Seneca utitur in v. 840.

Hercules Furens.

IV. canticum anapaesticum 1054—1137.

In hoc cantico, quo chorus Thebanorum furorem Herculis deplorat eique ut sana mens redeat, precatur, imitationis Horatianae vestigia admodum pauca inveniuntur, quoniam materia ipsa cantici tota ab Horatii ingenio abhorret. Tamen his locis Senecam Flaccum ante oculos habuisse contendo.

Primum, ut sententiarum Horatianarum imitationem absolvam, in comparatione Somni cum Morte versibus 1065—1076 comprehensa versus 1074 *qui par* ***regi famuloque*** *venis* tantam habet similitudinem noti illius versus Horatii I. 4. 16 *Pallida mors aequo pede pulsat* ***pauperum*** *tabernas* ***regumque*** *turres,* ut facile huius loci Senecam imitatorem appelles. Conferas et Hor. II. 18. 32 *Aequa tellus — pauperi recluditur regumque pueris* et paulo obscuratiorem versum Hor. III. 1. 14 *aequa lege necessitas sortitur insignes et imos.* Certe etiam Seneca ante oculos habuit in scribendo v. 1224 *non Argiva membra* ***palaestra*** *— flectere docti* etc. Horatium I. 10. 2 sq. *Qui feros cultus hominum recentum voce formasti catus et decorae — more* ***palaestra.***

Verborum coniunctiones a Flacco desumptae hae reperiuntur duae, quarum una in versibus, quibus de Sole agitur, exstat 1059 ***noctemque fugas*** *ore decoro — fervide Titan* ex Hor. III. 21. 24 *dum rediens* ***fugat astra*** *Phoebus,* altera in v. 1129 *tutosque* ***fuga*** *figere* ***cervos*** collata cum Hor. III. 12. 4 *catus idem per apersum* ***fugientes*** *agitato — grege* ***cervos*** *iaculari* etc.

Singulas voces ab Horatio usurpatas ter Seneca sibi indulsit. Primum occurrit exemplum in v. 1661 *tecum Alcides* ***vidit*** *et ortus* idem verbum

de Phoebo adhibetur quod ab Horatio carm. saec. 65 *Si Palatinas* ***videt*** *aequus arces.* Item in v. 1115 *et tu collo* ***decus*** *ac telum — suspensa diu, fortis harundo — pharetraeque graves* vocabula *decus* et *pharetrae* commonent Hor. I. 21. 11 ***insignemque*** *pharetra fraternaque humerum lyra* teste Badeno. Equidem adnotare maluerim Hor. carm, saec. 61 *Augur et fulgente* ***decorus*** *arcu — Phoebus.* De pharetra Apollinis disserit Flaccus etiam I. 10. 11 *viduus pharetra — risit Apollo.* Denique Seneca v. 1128 *telum . . . missum* ***certa*** *librare manu* fortasse ad Hor. I. 12. 23 *metuende* ***certa*** *— Phoebe sagitta* respexit.

II. Troades

I. amoebaeum Hecubae et chori v. 67—164 anapaesticum.

Quamquam nonnulla in hoc cantico imitationis vestigia nos ad Vergilii Aeneidem inducunt veluti, ut uno saltem exemplo rem a nostro proposito alienam demonstrem, v. 140—141 *magnoque Iovi victima caesus — Sigea premis* ***litora truncus*** collati cum Verg. Aen. II. 556 sq. *Pergama, tot quondam populis terrisque superbum — regnatorem Asiae: iacet ingens* ***litore truncus,*** tamen certe plurima ex Horatio, qui saepissime casum Troiae attigit, sumpta esse apparebit.

Itaque eandem, quam in v. 69—72 deprehendimus, sententiam *ex quo tetigit — Phrygius Graias hospes Amyclas secuitque* ***fretum*** *pinus matri — sacra Cybebae* invenimus apud Hor. I. 15. 1—2 *Pastor cum traheret per* ***freta*** *navibus — Idaeis Helenen perfidus hospitam.* Itemque de eadem re, quam reddit Seneca v. 77—78 *ut nulla dies maerore caret. — sed nova fletus causa ministrat,* dicit Horatius I. 15. 10 *quanta moveo funera Dardaniae genti.* Atque ad v. 124—127 *columen patriae, mora fatorum, — tu praesidium Phrygibus fessis, — tu murus eras umerisque tuis — stetit illa decem fulta per annos* conferri possunt hi loci Hor. III. 27. 28 *Priami domus — periura pugnaces Achivos — Hectoreis opibus refringit* et IV. 9. 22—24.

Item versus, qui sequuntur 128—129, *tecum cecidit summusque dies — Hectoris idem patriaeque fuit* adumbrati sunt ex Hor. II. 4. 9—12 *Barbarae postquam cecidere turmae — Thessalo victore et ademptus Hector — tradidit fessis leviora tolli — Pergama Grais.* Pariter Seneca materiam versuum 145—155 sumpsit ex Horatio mortem Cleopatrae laudante I. 37. 29—32 *Deliberata morte ferocior — saevis Liburnis scilicet invidens — privata* (cf. v. 162 sq. *non adsuetas ad sceptra manus — post terga dabit —*) *deduci superbo — non humilis mulier triumpho* (cf. v. 150—151 *non Argolici praeda triumphi — subiecta feret colla tropaeis* et 153 sqq. *currusque sequens — Agamemnonios aurea dextra — vincula gestans latis fiet — pompa*

Mycenis). Similis est hic quoque locus Hor. IV. 2. 34 sq. *Caesarem, quandoque trahet feroces — per sacrum clivum decorus — fronde Sigambros.*

Etiam verborum coniunctionem ex Horatianis in hoc cantico hanc adumbravit Seneca: in v. 70, ubi *Phrygius hospes* desumptum videtur ex Hor. III. 3. 26 *famosus hospes* de eodem Paride dicto. Etiam verba in v. 73 ***nivibus canuit*** *Ide* admonent Hor. I. 9. 1 *Vides, ut alta stet* ***nive candidum*** *— Soracte* et III. 25. 10 *Hebrum prospiciens et* ***nive candidam*** *Thracen.*

Complures voces Horatianas retinuit Seneca in v. 85 sq. *per colla fluant — maesta capilli* ***tepido*** *Troiae —* ***pulvere turpes;*** cf. Hor. II. 1. 21 sq. *audire magnos iam videor duces —* ***non indecoro pulvere sordidos.*** Versibus hisce 144 *felix Priamus — dicite cunctae* et 148 et 149 *non ille* ***duos*** *videt* ***Atridas*** *— nec* ***fallacem*** *cernit Ulixen* Seneca reminiscitur Horatii, ubi de Mercurio loquitur I. 10. 13—16 *Quin et* ***Atridas*** *duce te superbos — Ilio dives Priamus relicto — Thessalosque ignes et iniqua Troiae — castra* ***fefellit.*** Versu denique 162 *felix quisquis bello moriens etc.* Horatiani illius versus III. 2. 13 *dulce et decorumst pro patria mori* admonere videtur.

Troades.

II. canticum v. 371—408 metro asclepiadeo minore comprehensum.

Quoniam in hoc cantico chorus, qui, ne Polyxena mactetur, animae immortalitatem negat, doctrinam illam Epicuri secutus est, non est mirandum Senecam sententiam vel materiam ad hoc canticum componendum ex Horatio sumere non potuisse, propterea quod Flaccum de hac re aliter sensisse constat. Praeceptum enim illud Horatii, ut homines vita, dum liceat, cum voluptate fruantur, bene consentit cum eo, quod animam etiam post mortem exstare credidit. Conferas de hac re satis superque nota Hor. I. 4. 14 sqq., I. 10. 17—20; II. 3. 25 sqq., II. 14. 21 sqq. et 37 sq. 17—20; III. 4. 45 sqq. et 77 sqq. III. 11. 21—24 et 28 sqq.; IV. 7. 27. 31.

In diversitate, quae ad immortalitatem animae spectat, inter Horatium et semet ipsum Seneca, qui alias eandem secutus est doctrinam, non deterritus est, quominus singulas vocabulorum coniunctiones vel ipsa enuntiata tota mutuaretur ab Horatio, cuius imitationis manifesta argumenta sunt haec:

Versus 377 ***an toti morimur nullaque pars manet nostri*** accuratissime exscriptus est ex Hor. III. 30. 6 ***non omnis moriar multaque pars mei — vitabit Libitinam.*** Pariter se habet verborum coniunctio in v. 386 *aetas Pegaseo* ***corripiet gradu*** collata

cum Hor. I. 3. 33 *semotique prius tarda necessitas — Leti* ***corripuit gradum.*** Aeque v. 390 *hoc omne petimus* etc. idem est quod Hor. II. 3. 25 *Omnes eodem cogimur* et vocabulis aliquantum immutatis v. 403—404 *et obsidens — custos non facili Cerberus ostio* Annaeus reddidit Horatii eandem rem tractantis III. 11. 15—16 *Cessit immanis tibi blandienti — ianitor aulae.*

Troades.

III. canticum v. 814-860 metro sapphico cum adoniis compositum.

Scientíae in rebus geographicis ostentandae causa Annaeus in 47 versibus huius cantici non minus 38 nomina terrarum, insularum, urbium, montium, aquarum, pleraque obscura attulit. Sed cum sententia totius cantici contineatur v. 814 *quae vocat sedes habitanda captas?* et quidquid sequitur nihil aliud nisi subiecti in eo enuntiato amplificatio sit et sententias ex Horatii operibus desumptas atque ad componendum hoc canticum adhibitas frustra quaeras, tamen, quoniam horum locorum nomina Horatius quoque non pauca commemoravit, Seneca his quidem singulis vocabulis ad Flaccum respexisse videtur, quam rem ita se habere exemplis iam sum demonstraturus.

In ipso cantici initio v. 815 ***Thessali*** *montes et opaca* ***Tempe*** videmus nomina terrae et vallis illius disiuncta a Seneca, ab Horatio coniuncta I. 7. 4 ***Thessala Tempe.*** Pariter eandem virtutem, qua Seneca Phtiotida instruit, v. 815 *an viros tellus dare* ***militares*** *— aptior Phtie* attributam esse Italiae invenimus ab Horatio I. 22. 13 *Quale portentum neque* ***militaris*** *Daunias latis alit aesculetis.* At Seneca v. 829 *Pelion .... tertius caeli gradus* notam illam de pugna Gigantum fabula breviter attigit, Horatius accurate depinxit III. 4. 51—52 *Fratresque tendentes opaco — Pelion imposuisse Olympo.* Una Aiacem cum patria Salamine nominat Seneca v. 844 *numquid Aiacis Salamina † veri,* qua in re eum praeivit Horatius I. 7. 21 *Teucer Salamina patremque cum fugeret* et I. 15. 23 *Salaminius Teucer.* Deinde idem epitheton Cretae insulae inditum invenimus v. 819 ***urbibus centum spatiosa Crete*** atque apud Horatium III. 27. 33 *qui simul* ***centum*** *tetigit* ***potentem oppidis Creten.*** In v. 848 *Pylon an senilem* urbem senilem verisimiliter ob Nestora senem compellatam esse a Seneca réspiciente ad Hor. III. 15. 22 *non Pylium Nestora respicis* suspicor, quamquam Annaeum et aliunde epitheton illud sumere potuisse haud ignoro. At certe ex Hor. III. 2. 17 *Sive quos* ***Elea*** *domum reducit — palma caelestes* etc. adumbratus est versus 850 *et coronis —* ***Elida*** *claram?* Deinde epitheton Pelopis proprium in v. 855 *et* ***saevi*** *Pelopis Mycenae* occurrit iam apud Horatium I. 6. 8 *Nec* ***saevam*** *Pelopis domum.* Postremo si in v. 857 *et nocens saxis Ithace dolosis* nocentem appellatam esse Ithacam ob Ulixem Troianis

nocentem, *saxis* autem *dolosis* epitheton Ithacae sive ablativum qualitatis esse idemque significare ac *lapidosa* in v. 818 (cf. ad hanc rem. Hor. epist. I. 7. 41 *Non est aptus equis Ithace locus — ut neque planis — porrectus spatiis nec multae prodigus herbae)*, quamvis verbo *dolosis* ingenii artes illas Ulixis oblique tangi putaveris, fortasse non absimile erit adfirmare Senecam ex Hor. sat. II. 15. 4 *Iamne doloso non satis est Ithacam revehi* epitheton Ulixis proprium ad saxa, quibus Ithaca circumdatur, transposuisse.

Troadum.

IV. canticum v. 1009—1055 sapphicum cum adonio.

Seneca immutando vel alio sensu adhibendo, quam quo Flaccus iis usus erat, sententias in hoc quoque cantico imitatorem se praestitit, cuius rei manifesta documenta iam sum allaturus.

Itaque ad v. 1020—1021 *removete **centum** — rura qui scindunt opulenta bubus* adnotandum est, divitias etiam ab Horatio eodem modo per agri ac gregum possessionem describi veluti epod. IV. 13 *arat Falerni mille fundi iugera* et carm. II. 16. 33 *te greges **centum** Siculaeque circum mugiunt vaccae,* III. 16. 25 sqq. *Contemptae dominus splendidior rei — quam si, quidquid arat impiger Apulus, — occultare meis dicerer horreis.* Item v. 1022 *pauperi surgent animi iacentes* magna est similitudo cum Hor. III. 21. 18 *viresque et addis cornua pauperi* et I. 18. 5 *Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?* Ad versus autem 1039—1041 *et vir et Pyrrha, mare cum viderent, — et nihil praeter mare cum viderent — unici terris homines relicti* Seneca materiam et figuram ex Ovid. met. I. 325—326 *et superesse videt de tot modo milibus unum — et superesse videt de tot modo milibus unam,* verborum coniunctionem ex Hor. III. 27. 31 sumpsit *nihil astra praeter vidit et undas.* Postremo quod verborum coniunctio in v. 1027 *secare fluctum* pro *navigare* etiam apud Horatium I. 1. 14 *Myrtoum pavidus nauta secet mare* reperitur, ut usum omnium poetarum communem minoris momenti esse existimo.

III. Medea.

I. Canticum v. 56—115 asclepiadeis, glyconeis, hexametris mixtum.

Huic chori cantico, quod est epithalamium Iasonis et Creusae, cum multis Horatii carminibus hoc commune est, quod invocationes deorum continet. Imitationis autem Horatianae exempla haec inveni.

Primum ut ad sententias a Seneca adumbratas aggrediar; occurrit locus v. 60 *taurus celsa ferat tergore* ***candido,*** cuius similitudo magna est cum Hor. IV. 2. 60 *qua notam duxit* (scil. *vitulus*) ***niveus*** *videri — cetera fulvus.* Pariter sententia de cornu illo Amaltheae summam ubertatem significante, quae invenitur in v. 65 *et* ***cornu*** *retinet* ***divite copiam*** legimus iam apud Horatium carm. saec. 59 *adparetque beata* ***pleno cornu*** cf. Hor. I. 17. 14—16 *Hic tibi* ***copia*** *manabit ad plenum* ***benigno*** *ruris honorum* ***opulenta cornu,*** quod etiam exemplum imitationis singularum vocum vel verborum coniunctionum putari licet. Toti autem adumbrati ex Hor. II. 9. 10 sunt versus 71 et 72 de Vespero et occasum et ortum solis praedicente:

Sen. Med. 71 sq. *et tu quae, gemini praevia temporis — tarde, stella, redis semper amantibus.*

Hor. II. 9, 10 *Non tibi Vespero — surgente decedunt Amores — nec rapidum fuyiente solem.*

Deinde comparandi sunt v. 83—85 *cedent Ausonio duci — proles fulminis improbi —* ***aptat qui iuga tigribus*** etc. et Horatii item de Baccho *Semeles puero* dicti versus III. 3. 13 sq. *Hac te merentem, Bacche pater tuae — vexere* ***tigres — indocili iugum collo trahentes.*** Denique v. 88 et 89 *cedet Castore cum suo — Pollux* ***caestibus aptior*** commonefaciunt Hor. I. 2. 25 sqq. *Dicam et Alciden puerosque — Ledae hunc equis, illum* ***superare pugnis nobilem.***

De imitatione singularum vocum vel verborum coniunctionum adnotaverim primum usum illum regiones significandi, quo flumen terram aliquam irrigans eam *lambere* dicitur. Usus ille verbi lambendi vel lavandi apud alios quoque poetas non inauditus occurrit in v. 80 sq. *et quas Aonius latex — Alpheosque sacer* ***lavat*** et apud Horatium I. 22. 8 *vel quae loca fabulosus —* ***lambit*** *Hydaspes.* Deinde versus 86 *nec non, qui tripodas movet* ex Hor. I. 2. 32 et carm. saec. 61 *Augur Apollo* amplificatus esse potest neque est negandum epitheto Dianae in v. 87 *frater* ***virginis asperae*** alia apud Horatium respondere veluti I. 12. 22 *saevis inimica virgo beluis,* III. 4. 70 *integra,* epist. II. 3. 44 *iracunda.* Pariter res se habet v. 97 sq. *cum Phoebe solidum lumine non suo — orbem* ***circuitis cornibus*** *alligat* collatorum cum Hor. carm. saec. 35 *Siderum regina bicornis, audi — Luna puellas.* Atque de colore puniceo paulum purpureo clariore, quo genae Creusae et Ligurini nitere dicebantur, conferas v. qq. *ostro sic niveus* ***puniceo color*** *— perfusus rubuit* et Hor. IV. 10. 4 sq. *Nunc et qui* ***color*** *est* ***puniceae*** *flore prior rosae — mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam* etc. Denique ad verba *tempus* ***erat*** pro *tempus* ***est*** in v. 111 *multifidam iam tempus erat succendere pinum* iam Mitscherlichius et Badenus bene comparaverunt Hor. I. 37. 4 *Nunc Saliaribus . . . tempus erat* etc.

Medea.

II. canticum v. 301—379 anapaesticum.

Huius cantici, quo chorus in audaciam eius, qui primus navigationem exercuit, invehitur, materiam, ex quo carmine Horatiano sumpta sit, aperte indicant cantici versus primi *Audax nimium, qui freta primus — rate tam fragili perfida rupit.* Praeeuntibus Mitscherlichio et Badeno, qui unum idemque exemplum imitationis Horatianae attulerant, Zingerlius l. c. p. 17 carmen Hor. I. 3 *(Sic te diva potens Cypri* etc.) Senecam sibi exemplum proposuisse allatis nonnullis imitationis exemplis docuit. Idem vir doctus versus supra adscriptos 301—301 contulit cum Hor. l. c. 9 sqq. *Illi robur et aes triplex — circa pectus erat, qui fragilem truci — commisit pelago ratem primus*, ubi, ut de aliis verbis leniter obscuratis taceam, Seneca vel vocem *ratem* retinuit; sed ad eundem Horatii locum referri possunt et v. 305—306 a Fr. Leone repudiati *dubioque secans aequora cursu — potuit* **tenui** *fidere* **ligno** (cf. Horatii *fragilem ratem).* Equidem eos retinuerim, propterea quod voces *tenui fidere ligno* versus 307—308 *inter vitae mortisque vias — nimium* **gracili limite** *ducto* tamquam indicant et illustrant.

Clare in hoc cantico eminet Senecae genus imitationis Horatianae, qui secundum locum Horatii eiusdem carminis 14 *nec tristes Hyadas* statim magna cum ubertate describendi inde a v. 309 ad sidera, quorum usus tum nautae ignoti fuerit, enumeranda aggreditur. Quae cum ita sint, male fecit Peiperus, qui illos versus 329—334, qui de vita hominum ante navigationem inventam contenta sunt, non suo loco ante v. 335, ubi bene steterunt neque ordinem sententiarum ab Horatio desumptum turbaverunt, intactos reliquit, sed eos hoc loco, ubi ex Horatiana imitatione in hoc cantico tam aperta stare non debent, collocavit. At in descriptione siderum v. 312 *nondum pluvias — Hyadas poterat vitare ratis* ad Hor. l. c. v. 14 *Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti* esse referendos iam vidit Zingerlius. Sequuntur apud Senecam v. 313—315 *non Oleniae lumina caprae — nec quae sequitur flectitque senex — Attica tardus plaustra Bootes* etc., in qua descriptione ordinem Horatianum l. c. enumerandi primum ventos (cf. Hor. l. c. v. 12 sqq. *Nec timuit praecipitem Africum — decertantem Aquilonibus — nec tristes Hyadas nec rabiem Noti* etc.) Seneca ita mutavit, ut primum sidera, deinde ventos nominaret; cf. v. 316—317. Sed versus 313—315 non ex carmine saepius commemorato, sed ex Hor. III. 1. 27—28 *Nec saevus* **Arcturi** *cadentis — impetus aut oriendis Haedi* (cf. *non Oleniae lumina* **caprae** *nec . . . . .* ***Bootes***) Seneca adumbravit. Cum Horatius l. c. v. 12—14 tres ventos: Africum, Aquilonem, Notum nominet, Senecae recte vel duo satis visi sunt: Boreas et Zephyrus. Denique ad v. 335—336 *bene dissaepti foedera mundi — traxit in unum Thessala pinus* iam a Mitscherlichio et Badeno optime collatos Horatii

versus I. 3. 21—22. *Nequiquam deus abscidit — prudens Oceano dissociabili — terras* adnotare debeo.

Sed etiam singulorum ex aliis carminibus locorum manifesta in hoc cantico exstat imitatio. Sic. v. 329—334 cum verbis tum sententiis ex compluribus carminibus Horatianis conflati sunt; loci autem sunt hi:

Sen. 329, 330, 332 *Candida nostri* [a]*saecula patres — videre, procul* [b]*fraude remota —* [c]*patrioque senex factus in arvo parvo dives*, cf. Hor. epod. II. 1—4 *Beatus ille, qui procul negotiis — ut prisca gens mortalium —* [a]*paterna* [c]*rura bobus exercet suis —* [b]*solutus omni fenore.* Conferas et Hor. I. 1. 11 sqq. *Gaudentem* **patrios** *findere sarculo —* **agros** *Attalicis condicionibus — numquam dimoveas, ut trabe Cypria — Myrtoum pavidus nauta secet mare.* Versus autem 331 *sua quisque piger litora tangens* idem navigationis genus tangit atque Hor. II. 10. 2—4 *dum procellas — cautus horrescis, nimium premendo — litus iniquum.* Adnotaverim exempla ex aliis Horatii locis petita: Sirenas, quae *dirae pestes* in v. 355 vocantur, ab Horatio sat. II. 3. 14 *improbas* appellari ac de Sirenum vocibus disseri epist. I. 2. 23; alia minora neque ideo minus aperta imitationis testimonia exstant in v. 358 *Thracius Orpheus*, ad quod conferas Hor. I. 24, 13 *quid si Threicio blandius Orpheo,* et in v. 346 *palluit audax*, quod idem occurrit apud Horatium III. 27. 28, quem locum iam Zingerlins contulit.

Medea.

III. Canticum v. 579—669 sapphicum cum adoniis.

Hoc cantico chorus summos uxoris repudiatae dolores describit neque ullum Argonautarum excepto Iasone, cui ut res bene eveniat, precatur, propter mare nece Absyrti violatum impunitum fuisse contendit. Cum plurimae huius cantici partes ex aliis sententis ex Horatii carminibus desumptis compositae sint, primi versus 579—582: *Nulla vis flammae tumidive venti — tanta, nec teli metuenda forti — quanta cum coniunx viduata taedis — ardet et odit* iam a Badeno comparati sunt cum Hor. I. 25. 11 sqq. *Thracio bacchante magis sub inter — lunia vento — cum tibi flagrans amor et libido, — quae solet matres furiare equorum — saeviet circa iecur ulcerosum.* Versus autem, qui sequuntur, et inprimis v. 591—594 comparari possunt cum versibus carminis I. 16. 5—12, ubi Horatius de ira loquitur:

Sen. 591—594: *caecus est ignis stimulatus ira — nec regi curat patiturve frenos — aut timet mortem:* ***cupit ire in ipsos obvius enses.***

Hor. I. 16. 5—12 *Non Dindymene, non adytis quatit — mentem sacerdotum incola Pythius — non Liber aeque, non acuta si geminant Corybantes aera — tristes ut irae,* ***quas neque Noricus — deterret ensis*** *nec tremendo — Juppiter ipse ruens tumultu.*

At materia descriptionis v. 583—590 ex aliis operum Horatianorum partibus petita est veluti v. 583 *non ubi hibernos* ***nebulosus*** *imbres — Auster advexit,* quae ad vim eius venti pertinent, epitheta sunt haec Hor. II. 14. 15 *nocens Auster,* III. 3. 5 *dux inquieti turbidus Hadriae,* III. 27. 22 *sentiant motus orientis Austri,* IV. 14. 20 *indomitus prope qualis undas exercet Auster,* epod. 10. 3—4 *ut horridis utrumque verberet latus — Auster memento fluctibus;* sat. I. 1. 6 *navim iactantibus Austris,* sat. II. 2. 41 *praesentes Austri,* sat. II. 8. 6 *leni fuit Austro captus;* epist. I. 11. 15 *validus Auster.* Item Horatius IV. 14. 46 una cum Nilo et *rapido* Tigri (cf. Sen. v. 584 *torrens Hister*) Istrum quoque magnum flumen appellat; ceterum similem eiusdem regionis descriptionem Seneca apud Horatium II. 20. 16—20 invenire potuit: *Me Colchus et qui dissimulat metum — Marsae cohortis Dacus et ultimi — noscent Geloni, me peritus — discet Hiber* ***Rhodanique*** *potor* (cf. 587 *non ubi impellit* ***Rhodanus*** *profundum).* Ad locutionem *amnem bibere* pro *accolam amnis esse* conferas et Hor. IV. 15. 21 *non qui* ***profundum*** *Danuvium bibunt* et Sen. Med. 373 sqq. *Indus gelidum potat Araxen, — Albin Persae Rhenumque bibunt.* Pariter v. 588—590 *aut ubi in rivos nivibus solutis — sole iam forti medioque vere — tabuit Haemus* aucti esse videntur ex solo Haemi montis epitheto Hor. I. 12. 6 *gelidove in Haemo.* Aliam fabulam et ab Horatio et a Seneca in hoc cantico tractatam habes de misero Phaethontis exitu, quam rem Horatius in carmine item sapphico IV. 11, 25 (*terret* ***ambustus*** *Phaethon avaras spes*) paucis verbis attigit, Seneca compluribus verbis auxit 599—602 *ausus aeternos agitare currus — immemor metae iuvenis paternae — quos polo sparsit furiosus* ***ignes — ipse recepit.***

In ea parte, quae versu sapphico octiens repetito atque adonio clauso decurrit, primi versus 607—609 *Quisquis audacis tetigit carinae — nobiles remos nemorisque sacri — Pelion densa spoliavit umbra* ad Argonautas respicientes pariter atque iam Med. 301—308 comparandi sunt cum Hor. I. 3, 9 sqq. *Illi robur et aes triplex — circa pectus erat, qui fragilem truci — commisit pelago ratem primus.* Deinde versus 611 *et tot emensus pelagi labores* simillimus est iis, quibus Horatius epist. I. 2, 20 sqq. initium Odysseae convertit *latumque per aequor . . . aspera multa pertulit.*

Alia fabula de Orpheo a Seneca ex Horatio, ubi celeberrima est, desumpta esse videtur. Quam audacter in hac re Seneca se gesserit, iam cognosces ex locis adscriptis:

Sen. 622—629 *ille* ***vocali***[a] ***genitus***[c] ***Camena,*** *— cuius ad chordas modulante plectro — restitit* ***torrens,***[d] *siluere* ***venti***[e] *— cum suo cantu volucris relicto — adfuit tota comitante* ***silva.***[b]

Hor. I. 12. 7—12 *Unde* ***vocalem***[a] *temere insecutae — Orphea* ***silvae***[b] *— (**Arte materna**[c] **rapidos**[d] morantem — **fluminum**[d] lapsus celeresque **ventos**[e] — blandum et auritas fidibus canoris — ducere quercus*). Itaque forsitan iam Seneca hos versus a L. Muellero uncis inclusos noverit et in exemplari Horatii suo legerit. Conferas ad eos Senecae versus et Hor. I. 24. 13—14 *Quid si Threicio blandius Orpheo — auditam moderere arboribus fidem?*

Etiam hic de morte sententiae apud Horatium celeberrimae imitationis vestigia quaedam exstant: v. 632 *contigit notam Styga Tartarumque — non rediturus,* cf. I. 4. 16 sqq. *Iam te premet nox fabulaeque Manes — et domus exilis Plutonia; quo simul mearis etc.* et de Hercule aperta imitatio Hor. I. 3. 36 *Perrupit Acheronta Herculeus labor* in v. 638 *post feri Ditis patefacta regna.* Denique ad v. 660—662 a L. Muellero integritati suae restitutos in Iahnii Annal. tom. 89 (1864) pag. 498 *crimine patris fulmine et Ponto — moriere Oileus (Oileu),* ubi Oileum pro filio Aiace positum esse iam Gronovius ostendi, comparaverim Hor. epod. I. 13—14 *Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio — in impiam Aiacis ratem.*

Medea.

IV. canticum v. 849—878 anacreonticum.

Huius cantici argumentum Seneca ex duobus carminibus Horatianis mutuatus esse videtur: ex carmine I. 16 *O matre pulchra filia pulchrior etc.,* si de ira sententias expressas, ex epod. X., si furorem ab utroque poeta depictum respexeris, qui epodos potius exemplum Senecae fuisse potest, quoniam eo singula quoque vocabula adhibita (cf. v. 859 *pallor fugat ruborem* et epod. III. 15 *Tacent, et albus ora pallor inficit*) referenda sunt. Ceterum multa exempla imitationis Horatianae iam propter ipsam cantici brevitatem vix quisquam exspectaverit.

In versibus primis 849—852 *Quonam cruenta* ***maenas*** *— praeceps amore saevo — rapitur? quod impotenti — facinus parat furore?* significatio feminae cupiditate quadam inflammatae ut Bacchae occurrit iam apud Horatium III. 15. 9—10 *Expugnat iuvenum domos — pulso* ***Thyias*** *uti concita tympano.* Nec mirandum est haud secus Senecam atque Horatium signa animi vehementissime commoti expressisse veluti in v. 858

et 861 *flagrant genae rubentes, — pallor fugat ruborem, — nullum vagante forma — servat diu colorem,* quorum ad postremos iam Mitscherlichius et Badenus Horatii locum, ubi stimulos amoris depingit, attulerunt I. 13. 5—6 *Tum nec mens mihi nec color — certa sede manet.* Melius autem ex septimo Horatii epodo, ubi de furore verba facit poeta, comparaverim versum 15., qui vel vocabulis adhibitis versui 859 *pallor fugat ruborem* simillimus est: *albus ora pallor inficit.* Denique omissis mediis versibus, qui ad solum huius tragoediae argumentum pertinere possunt, invenitur vestigium quoddam imitationis in v. 877 et 878 *mergat diem timendum — dux noctis Hesperus;* cf. Hor. II. 9. 10—12.

IV. Phaedra.

I. canticum v. 274—357.

Hoc canticum divisum est in partes duas, quarum una v. 274—324 metro sapphico, altera v. 325—357 versu anapaestico continuato composita est. Totum autem carmen inservit celebrandae amoris potentiae, quam et homines omnis loci v. 283—290 atque aetatis 290—295 et dii superi 296—316 (Phoebus 296—298, Juppiter 299—308, Luna 308—316) et Neptunus 335—336 et Hercules semideus 316—329, quin etiam animalia et aëris 338 et terrestria 339—352 et aquatilia 351 sentiant.

Nimirum Seneca potentiam amoris praedicaturus primam, ut Horatii I. 32. 9—10 verbis utar, *Veneremque et illi — semper haerentem puerum* inducit eamque marinam (ut elucet v. 274 *Diva non miti generata ponto*), quam Horatius quoque IV. 11. 15 nominat *qui dies mensem Veneris marinae — findit Aprilem.* Praeter id exemplum, quo Seneca appellationem ab Horatio usurpatam enuntiato reddidit, perpauca iam habeo, nisi forte usitatissimum apud omnes poetas Latinos, ut ita dicam, apparatum Amoris: sagittas (cf. Hor. II. 9. 15 et I. 27. 12) et arcum, denique voces veluti *calores* in v. 292 (cf. Hor. IV. 9. 11) et *ignes* in v. 293 (cf. Hor. I. 27. 16, III. 7. 11) adnotaturus sum. Sed hoc dicere velim versum 275 *quam vocat matrem geminus Cupido* nihil aliud nisi appellationem Horatii I. 19. 1 et IV. 1. 5 *Mater saeva Cupidinum* a Seneca in enuntiatum solutum esse.

Itaque ceteris Senecae versibus, quibus Ovidium suum secutus esse mihi videtur, relictis versus 303—309, quibus de rapta Europa agitur, a Seneca ex Horatio eandem rem celebrante II. 27. 25—29 adumbratos et pluribus verbis redditos esse putaverim. Sen. 303—309 *fronte nunc torva petulans iuvencus — virginum stravit sua terga ludo, — perque fraternos nova regna fluctus — ungula lentos imitante remos — pectore adverso domuit profundum — pro sua vector timidus rapina.*

Hor. III. 27. 25—29 *Sic et Europe niveum doloso — credidit tauro latus, et scatentem — beluis pontum mediasque fraudes — palluit audax.*

Ex Horatio sumptae esse videri possunt hae sententiae: v. 350 *tum silva gemit murmure saevo*, cf. Hor. epod. 6. 9 *Tu, cum timenda voce completi sumus* et v. 346 *tunc vulnificos — acuit dentes aper;* cf. Hor. epod. 6. 15 *an si quis atro dente me petiverit*, ubi sententia Horatii a Seneca in unam vocem coacta est.

Denique addiderim Mitscherlichium ad versum Hor. I. 13. 8 *arguens, quam lentis penitus macerer ignibus* versus 279 et 280—283 a Leone sub textu adscriptos *labitur totas furor in medullas — igne furtivo populante venas — non habet latam data plaga frontem — sed vorat tectas penitus medullas* adnotasse.

Phaedra.

II. canticum v. 736—834 sapphico-asclepiadeum.

Hoc cantico Seneca, quod iam Zingerlius invenit, pluribus verbis exsecutus est de vanitate pulchritudinis iuvenilis sententiam, quae quamquam cum apud omnes poetas antiquos tum apud Ovidium cf. I. 47, III. 12 saepius occurrit, tamen longe usitatissima in Horatii carminibus reperitur. Atque, id quod vel ordine et explicatione sententiarum ab Annaeo instituta satis declaratur, locus Horatii II. 11. 5 is esse videtur, unde materiam cantici componendi poeta sibi sumpsit atque a v. 764—776 adhibuit ita, ut hoc quoque loco II. 11. 5 *fugit retro levis iuventas et decor* collato cum v. 773 *res est forma fugax* aliquod dictionis Horatianae signum relinqueret.

Sententias et Horatii et Senecae communes has inveni. Primum v. 742 *fama miratrix senioris aevi* sententia est simillima Horatii epist. II. 1. 48 *virtutem aestimat annis — miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.* In versibus, qui sequuntur 743—752, magnam et in comparatione adhibita et in verborum coniunctionibus ac singulis vocibus usurpatis similitudinem invenimus. Quod pulcher adulescens cum sidere aliquo comparatur, occurrit etiam apud Horatium III. 9. 21 *quamquam sidere pulchrior illest* etc. Eandem sententiam de Vespero nuntio et noctis et diei legimus apud Hor. II. 9, 10—12 *Nec tibi Vespero — surgente decedunt Amores — nec rapidum fugiente solem,* ita ut Annaei verba 751 *pulsis iterum tenebris — Lucifer idem* Horatii *rapidum fugiente solem* et illius verbis *primas referens tenebras, nuntius noctis, modo lotus undis Hesperus* huius *Vespero surgente* respondeant. — Fragilitatem pulchritudinis et vitae cum foliis comparare ab Homeri temporibus apud poetas usitatissimum erat, itaque v. 764 sqq. *non sic prata novo vere decentia — aestatis calidae despoliat vapor, — saevit solstitio cum medius dies — et noctes brevibus praecipitant rotis* similis est Horatii epod 11. 6 de Decembre *silvis honorem decutit* et c. IV. 7. 9—12 *Frigora mitescunt Zephyris ver proterit aestas, interitura, simul — pomifer autumnus fruges effuderit et mox —*

bruma recurrit iners. Quod tam celeriter pulchritudo evanescit, conferas Hor. IV. 13. 17 sqq. *Quo fugit venus, heu, quove color? decens quo motus?* et Sen. v. 769—772 *et gratae capiti deficiunt comae — et fulgor teneris qui radiat genis — momento rapitur nullaque non dies — formonsi spolium corporis abstulit.* Quibus verbis unum Horatii carmen — ad Ligurinum IV. 10 dico — Seneca excerpsisse vel potius more philosophi reddidisse mihi videtur. In eo carmine, quod adscribere supersedeo, simillimi sunt hi versus IV. 10. 2 *et quae nunc umeris involitant, deciderint* ***comae*** (cf. Sen. v. 769 *et gratae capiti deficiunt* ***comae***) et v. 770 *et fulgor teneris qui radiat* ***genis*** — *momento rapitur* et IV. 10. 8 *vel cur his animis incolumes non redeunt* ***genae****?* singulis quoque vocibus retentis. Conferas etiam Hor. epod. 17. 21 *fugit iuventus et verecundus color — reliquit ora pelle amicta lurida.* Ad v. 773 *res est forma* ***fugax*** iam Zingerlins adnotavit Hor. II. 11. 5 sq. ***fugit*** *retro — levis iuventas et decor.*

In tanta sententiarum similitudine vel aequitate permultas simillimas verborum coniunctiones apud utrumque poetam inveniri vix mirum videtur. Iam initio cantici v. 738 ***ocior nubes glomerante Coro*** est mira similitudo cum Hor. II. 16. 23 ***ocior cervis et agente nimbos — ocior Euro.*** Versus autem 744—752 *cum suos igne . . . . . Lucifer idem* plane adumbratos atque amplificatos esse ex Hor. epod. 15. 1 sq. *Nox erat* et *caelo fulgebat Luna sereno — inter minora sidera* intellegi potest ex verbis *inter minora sidera,* quae cum v. 748 *nec tenent* ***stellae*** *faciem* ***minores*** congruunt; conferas et Hor. I. 12. 47 *velut inter* ***ignes*** *luna* ***minores.*** Imitationem in versibus, qui sequuntur, iam supra demonstratam manifestam reddit verborum coniunctio ***dum licet*** in v. 774, quam cohortandi causa aeque adhibet Horatius II. 11. 16, IV. 12. 26; sat. II. 6. 96. Versum 797 *lucebit* ***Pario marmore clarius*** plane desumpsit poeta ex Hor. I. 19. 6 *splendentis* ***Pario marmore clarius,*** quam imitationem iam Zingerlius monstravit. Versus 801 *illum caesaries nescia colligi* idem significat quod Horatii I. 12. 41 *incomptis Curium capillis.*

Venio iam ad voces, quas singulas Annaeus ab Horatio vel plane mutuatus est vel aliqua ex parte commutavit. Huc pertinent in v. 765 *ac mitra cohibens* ***cornigerum*** *caput,* quod epitheton paulo immutatum sumpsisse videtur ex Hor. II. 19. 30 *te vidit insons Cerberus* ***aureo cornu decorum.*** Deinde conferas in v. 765 *aestatis* ***calidae*** *despoliat vapor* mitigatum epitheton pro eo, quod invenimus Hor. I. 17. 2 ***igneum*** *defendit aestatem.* In versu praeeunte *non sic prata novo* ***vere*** *decentia* substantivum, apud Horatium in enuntiato eandem sententiam exprimente adiectivum occurrit II. 11. 9 *non semper idem floribus est honor* ***vernis.*** Denique carmina Thessalica, quae commemorantur v. 791 *tractam Thessalicis carminibus rati,* nota sunt ex Hor. epod. 5. 45, 17. 4; epist. II. 2. 209.

Phaedra.

III. canticum 959—988 anapaesticum.

Etiam in hoc parvo cantico Seneca Horatium et sententiis et verborum coniunctionibus imitatus est. Itaque v. 961—965 *rector Olympi, qui sparsa cito sidera mundo — cursusque vagos rapis astrorum — celerique polos cardine versas, — cur tanta tibi cura perennes — agitare vias aetheris alti* amplificationem invenimus Hor. I. 12. 13—16. *Quid prius dicam solitis parentis — laudibus, qui res hominum ac deorum, — qui mare et terras variisque mundum — temperat horis*, quae postrema verba etiam in versus, qui sequuntur, Senecae pertinent. Atque versus 966—971, quibus descriptio temporum anni continetur, mutato tantum describendi ordine magnam similitudinem praestant Horatii IV. 9—12 *frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas interitura, simul — pomifer autumnus fruges effuderit, et mox — bruma recurrit iners.* Eandem sententiam de Iovis in temporibus constituendis potentia exemplo hiemis demonstratam Horatius simplicioribus verbis refert II. 10. 15—17 *informes hiemes reducit Juppiter, idem submovet.* Pariter paene congruunt Senecae v. 978—980 *res humanas ordine nullo — Fortuna regit sparsitque manu — munera caeca* et Horatii III. 29. 49—52. *Fortuna laeta saevo negotio et — ludum insolentem ludere pertinax — transmutat incertos honores, — nunc mihi, nunc alii benigna* et eiusdem I. 34. 14—16. *hinc apicem rapax — Fortuna cum stridore acuto sustulit, hic posuisse gaudet.* Verum quod Seneca v. 975—977 *hominum nimium securus abes, — non sollicitus prodesse bonis, — nocuisse malis?* repugnat ei, quod Horatius docet I. 34. 12—13. *Valet ima summis mutare et insignem attenuat deus obscura promens.* Liceat denique adnotare in v. 983 *tradere turpi fasces populus — gaudet,* ***eosdem colit atque odit*** animum populi mobilem castigari perinde atque ab Horatio uno epitheto I. 1. 7—8 *Hunc, si* ***mobilium*** *turba Quiritium — certat tergeminis tollere honoribus.*

Ad v. 966—967 *ut nunc canae frigora brumae —* ***nudent silvas*** conferri possunt apud Horatium item in descriptione hiemis haec verba II. 9. 3 *et foliis* ***viduantur orni.*** Eandem verborum coniunctionem, quae exstat in v. 967 *nunc arbustis — redeant umbrae,* iam legimus apud Horatium IV. 7. 1 *redeunt iam gramina campis arboribusque comae;* quod autem ad sententiam pertinet, conferas Hor. II. 15. 9 *tum spissa ramis laurea fervidos excludet ictus.* At v. 972 *sed cur idem qui* ***tanta regis*** forsitan adumbraverit ex Hor. I. 12. 57 *te minor* ***latum reget orbem.***

Singulas voces Seneca in hoc cantico fere nullas ab Horatio mutuatus est. Nam epitheton *igniferi* in v. 960, quod Iovis proprium Seneca ad Olympum transtulit, Horatius non adhibuit, sed reddidit enuntiato I. 12. 59 *tu parum castis inimica mittes fulmina lucis,* I. 2. 2 *rubente dextera sacras iaculatus arces.* Idem fulmen vocat I. 16. 11 *saevum ignem,* I. 24. 6

coruscum (cf. *nec fulminantis magna manus Iovis;* III. 4. 44 *fulmine sustulerit caduco).* Denique ad v. 969 *Cererem* pro *fruges* iam Horatius sicuti alii poetae adhibuit epod. 16. 43, carm. III. 24. 13.

Phaedra.

IV. canticum 1123—1153 mixtum.

Hoc canticum, quod est de instabilitate fortunae et de securitate humilis vitae et mortem Hippolyti celebrat, mirum in modum ex Hor. II. 10 adumbratum esse iam Torkillus Badenus ostendit. Tamen et rei demonstrandae et explicandae causa pauca de imitatione dicam neque ibi omnia, quae imitationis statui genera, et sententiarum et verborum coniunctionum atque singularum vocum adeo, ut vix separari possint, mixta esse celabo.

Primum Senecae praeceptum, ut ita dicam, positive dictum v. 1124—1127 *minor in parvis fortuna furit — leviusque ferit leviora deus; — servat* ***placidos obscura*** *quies — praebetque senes* ***casa*** *securos* apud Hor. III. 29. 9—12 ***fastidiosam*** *desere copiam et —* ***molem*** *propinquam nubibus arduis, omitte mirari beatae — fumum et opes strepitumque* ***Romae*** negative dictum exstat ita, ut verba quoque Senecae singulis ab Horatio adhibitis bene respondeant veluti in v. 1126 *placidos* et v. 9 *fastidiosam* et *obscura quies* et *beatae Romae*, denique *casa* et *molem propinquam nubibus arduis.*

Manifestissima autem Horatii imitatio est in versibus, qui sequuntur, 1128—1131 *Admota aetheriis culmina sedibus — Euros excipiunt, excipiunt Notos, — insani Boreae minas, — imbriferumque Corum,* si comparaveris cum Hor. II. 10. 9—11. *Saepius* ***ventis*** *agitatur ingens — pinus et celsae graviore casu — decidunt turres.* Quis est, qui Senecam vocem *ventis* quattuor diversis ventis, Euro, Noto, Aquilone, Coro enumeratis amplificasse, sed amplam Horatii descriptionem pinus celsarumque turrium uno vocabulo *culmina* reddidisse non intellegat? Idem Horatii verba II. 10. 11—12 *feriuntque summos fulgura montes* ita mutuatus est, ut in v. 1132—1136 *Raros patitur fulminis ictus — umida vallis: — tremuit telo Jovis altisoni — Caucasus ingens Phrygiumque nemus — matris Cybeles* pro Horatii verbis *fulgura, telo* et *fulminis ictus* uteretur et *summos montes,* quos Horatius laudanda cum moderantia modo tetigerat, ipse scientiae ostentandae causa nominaret. Sed cum v. 1138—1139 *non capit umquam magnos motus —* ***humilis tecti*** *plebeia domus* comparatis cum Hor. II. 10. 6 *caret* ***obsoleti*** *sordibus* ***tecti*** singulas tantum voces easdemque fere, quas iam Horatius adhibuerat, usurparet, Seneca versibus, qui sequuntur, 1141—1143 *volat ambiguis mobilis alis — hora, nec ulli praestat velox — Fortuna fidem* imagine eadem, sed iam Fortunae attributa usus notum illum Horatii I. 34. 14—16 locum *(hinc apicem rapax — fortuna* ***cum stridore acuto*** (scil. *alarum*) *sustulit, hic posuisse gaudet)* ante oculos habuit. Praeterea in hisce Senecae

versibus eadem sententia apparet atque in Hor. III. 29. 49—52 *Fortuna laeta saevo negotio et — ludum insolentem ludere pertinax — transmutat incertos honores, — nunc mihi, nunc alii benigna.*

V. Oedipus.

I. canticum v. 110—201 sapphicum cum adoniis.

In hoc cantico tria illa imitationis genera tam arte inter se connexa sunt, ut, si separatim tractentur, manifesta imitationis vestigia obscurentur. Nam in his versibus 114—120 Seneca Horatium ita depeculatus est, ut se eum vel singulis vocibus adhibitis imitatum esse fateatur. Ita v. 114 *miles,* ***extremos*** *comes usque ad* ***Indos*** conferas cum Hor. epist. I. 6. 6 *quid maris* ***extremos*** *Arabas ditantis et* ***Indos;*** idem verbis *maris ditantis* ad v. 120 componendum *litus intravit pelagi rubentis* uti non omisit. Eadem vocabula invenimus et Hor. epist. I. 1. 45 *impiger* ***extremos*** *mercator curris* ***ad Indos.*** Idem in v. 117 *cinnami silvis Arabas* ***beatos*** vocabulo *beatos* Horatium se imitari I. 29. 1 *Icci* ***beatis*** *nunc Arabum invides gazis* ostendit. Eandem sententiam de divitiis Arabum et Indorum iam apud Horatium legimus veluti II. 12. 24 *plenas aut Arabum domos,* III. 24. 2 *intactis opulentior — thesauris Arabum et divitis Indiae;* conferas etiam Hor. epist. I. 6. 6, quem supra adnotavi locum, et epist. I. 7. 36 *nec otia divitiis Arabum liberrima sunto.*

Alia eademque frequentissime et pulcherrime ab Horatio tractata materia, unde Seneca tamquam ex fonte perenni hausit, est de morte. Quamvis ea, quae poeta posterioris aetatis scripserit, ideo imitationem non esse haud ignorem, tamen hoc loco tam manifesta imitationis vestigia reperiuntur, ut casu quodam incidisse non possint. — Tota enim, quae sequitur v. 124, descriptio, maxime v. 124—125 *stirpis invictae genus interimus —* ***labimur saevo rapiente fato*** suspicionem movent materiam ex hisce Horatii verbis esse petitam I. 2. 30—32 *semotique prius tarda necessitas — leti* ***corripuit*** *gradum.* Sed etiam in hac re Seneca ita se gessit, ut etiam alias Horatii sententias vel singulas voces vel imagines ex aliis locis sumeret. Itaque imaginem illam celeberrimam et nostra aetate a pictore quodam illustratam de agmine mortis compluribus Horatii locis invenimus veluti I. 24. 16 *quam virga semel horrida, — non lenis precibus fata recludere, — nigro compulerit* ***gregi?*** et paulo obscuratiorem I. 28. 15 sq. *sed omnes una manet nox — et calcanda semel via leti.* Conferas Senecae v. 126—128 *ducitur semper nova pompa Morti: — longus ad manes properatur ordo —* ***agminis maesti*** *seriesque tristis — haeret.* Reliqua huius generis exempla melius in imitatione singularum vocum adferentur. Unum autem hic adscribam ad v. 131 *stat gravis strages* ***premiturque iuncto funere funus*** Hor. I. 28. 19 *mixta senum ac iuvenum* ***densentur funera*** etc. Alia in hoc cantico, quod ad sententias

attinet, similia sunt in v. 177 *bis turbatam* ***sanguine Dircen*** et Hor. III. 13. 5 sq. *nam gelidos inficiet tibi — rubor* ***sanguine rivos;*** v. 138 sq. *patuit sub ictu — ponderis vasti resoluta* ***cervix*** et III. 23. 12 *victima pontificum secures* ***cervice*** *tinguet,* quibus in exemplis vel voces Horatianas Seneca retinuit. Denique omnes, qui inde a v. 136 sequuntur, versus, quibus sacrificium describitur, sumpti esse possunt ex Hor. II. 14. 5 sqq. *Non si trecenis quotquot eunt dies, amice, places inlacrimabilem — Plutona tauris* etc. Item materia ad v. 133—148 *prima vis tardas tetigit bidentes . . . . . tabidos inter moriens iuvencos*) et v. 156—158 *(non rura virent ubere glebae, — non plena suo vitis Baccho — bracchia curvat)* componendos sumpta esse videtur ex Hor. III. 23. 5—8 *nec pestilentem sentiet Africum* — ***fecunda vitis*** (cf. Sen. 157 *non* ***plena suo vitis Baccho*** etc.) *nec sterilem seges — robiginem* (cf. Sen. 156 *non rura virent ubere glebae*) *aut dulces alumni* (cf. Sen. 145—148 *incubant agris pecudes relictae . . . . . tabidos inter moriens iuvencos*). — *pomifero grave tempus anno.* Conferantur cum v. 145—148 etiam Horatii epod. 16. 61 sq. *nulla nocent pecori contagia, nullius astri — gregem aestuosa torret impotentia.* Sed iam ad imitationem singularum vocum vel verborum coniunctionum transeamus.

Primum adfirmaverim v. 121 *(****promit*** *hinc ortus aperitque lucem),* quod iam verbum *promendi* indicat, sumptum esse ex Hor. carm saec. v. 9—11 eandem rem tractantis *Alme Sol, curru nitido diem qui —* ***promis*** *et celas aliusque et idem — nasceris.* Item in v. 120 *litus intravit pelagi* ***rubentis*** imitationem inesse puto Hor. I. 35. 31 *examen Eois timendum partibus Oceanoque* ***rubro.*** Simul adnotaverim ad v. 115 *ausus* ***Eois equitare campis*** eandem constructionem occurrere atque Horatii II. 9. 24 item in versu sapphico ***exiguis equitare campis*** et vocem *Eois* ex Hor. I. 35. 31 supra adscripto, propterea quod in eadem occasione adhibita est, sumptam esse. Quam observationem veram esse ea re confirmatur, quod vocabulum illud nusquam alibi apud Horatium nisi epod. 2. 51 exstat. Ad v. 127 supra tractatum Senecae ante oculos fuisse videtur Hor. I. 4. 16 *iam te premet nox fabulaeque* ***manes,*** quod ex voce in v. 127 *longus ad* ***manes*** *properatur ordo* coniecerim. Paulo supra ad v. 118 sq. *vidit et* ***versos equites,*** *sagittis — terga fallacis metuenda* ***Parthi*** iam a Torkillo Badeno adnotatus est locus Hor. II. 13. 17 *miles sagittas et celerem fugam Parthi,* quo autem similior mihi videtur I. 19. 11 *et* ***versis*** *animosum* ***equis Parthum*** *dicere.* Atque eadem, quae in v. 149 *non* ***lupos*** *cervi* ***metuunt rapaces*** invenimus, vocabula sunt apud Horatium I. 17. 18 *nec virides* ***metuunt*** *colubras nec Martiales Haediliae* ***lupos***, III. 18. 13 *inter audaces lupus errat agnos;* IV. 4. 50 ***cervi luporum praeda rapacium,*** epod. 16. 20 *apris reliquit et* ***rapacibus lupis;*** in v. 151 *nulla villosis feritas in ursis* Senecae versum ille Hor. epod. 16. 51 obversatum esse suspicor *nec repentinus circumgemit ursus ovile.* Sicuti Seneca in v. 154 *non silva sua decorata coma* frondes arborum comam appellavit iam Hor. I. 21. 3, IV. 3. 11, IV. 7. 2. — Postremo adnotaverim voca-

bulum *capax* in v. 166 *quique* ***capaci*** *(turbida* ***cumba*** etc.) Senecae in mente remansisse fortasse ex Hor. III. 1. 16 *omne* ***capax*** *movet urna nomen*, quamvis et natura loci et vocabulum *cumba* ostendere videatur Hor. II. 3. 27 sq. *sors exitura et nos in aeternum — exsilium impositura* ***cumbae***. Paulo obscurior est locus, sed eandem imaginem continet Hor. II. 18. 36 *nec satelles Orci* (— in v. 167 *durus senio navita crudus)* — *callidum Promethea —* ***revexit*** *auro captus.* Vocabulum *gleba* in 156 *non rura virent ubere glebae* pari modo adhibitum est in Hor. epod. 16. 55 *Pinguia nec siccis urantur semina glebis.*

Oedipus.

II. canticum v. 403—508 variis metris compositum.

Totum hoc Senecae canticum Bacchum celebrans adumbratum est ex carmine eandem rem tractante Horatii II. 19 sed ita, ut nonnulla etiam ex aliis carminibus sumpta esse videantur.

Primum sententia v. 404 comprehensa *mollia Nysaeis* ***armati*** *bracchia thyrsis* spectare videtur ad Horatii carminis versum II. 19. 8 *euhoe, parce Liber, parce gravi* ***metuende*** *thyrso*, nam Bacchum thyrso impacto insaniam augere antiquos credidisse constat. Deinde verba Horatii simplicia II. 19. 16 *cantare mihi fas est . . . exitium Lycurgi* Seneca v. 471 amplificavit *regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi* et ibidem paulo ante v. 14 *tectaque Penthei disiecta non leni ruina Thracis* reddidit v. 442 *iam post laceros Pentheus artus.* Maior autem est imitatio Horatii versuum II. 19. 10—12, quae exstat in Senecae versibus 491—496, quos utriusque poetae comparandos iam adscribam:

Hor. II. 19. 10—12 *vinique fontem lactis et uberes — cantare rivos atque truncis — lapsa cavis iterare mella.*

Sen. v. 491—496 *pumice ex sicco — fluxit Nyctelius latex; — garruli gramen secuere rivi, — conbibit dulces humos alta succos — niveique lactis candidos fontes — et mixta odoro Lesbia cum thymo.* Ita verba Horatii simplicia Seneca augenda sibi esse existimavit, ut vel voces illius retineret; respondent autem singula inter se ita: *vinique fontem* (Hor.), *fluxit Nyctelius latex* (Sen.), *lactis et uberes cantare rivos* (Hor.), *niveique (!) lactis candidos (!) fontes* (Sen.), *truncis lapsa cavis iterare mella* (Hor.), *mixta odoro Lesbia cum thymo* (Sen.). Versus autem 491 *pumice ex sicco* nulli quidem Horatii respondens fabulam illam tangit, qua Baccham aliquam saxum thyrso pulsantem vini fontem, alias digitis terram sculpentes lac elicuisse, denique mel quoque ex thyrsis effluxisse antiqui narrabant. De iisdem lactis et vini fontibus melleque in terram defluente conferas et Ovidium metam. I. 111 sq. *flumina iam lactis iam flumina nectaris ibant — flavaque de viridi stillabant ilice mella.*

Sententiae ex aliis Horatianis carminibus desumptae sunt hae: ex I. 7. 3 *vel* ***Baccho Thebas*** *vel Apolline Delphos* — ***insignes*** in v. 405 sqq. *huc ades — votis quae tibi* ***nobiles*** — ***Thebae, Bacche*** *tuae — palmis supplicibus ferunt.*

Item parva mutatione Seneca v. 425 *veste cum longa* ***regeres*** pro *tegeres* lectione Leonis) *leones* respicere videtur ad Hor. III. 3. 13 sqq. *hic te merentem, Bacche pater, tuae —* ***vexere*** *tigres, indocili iugum — collo trahentes.* Maior imitatio Horatiana exstat in versibus Senecae 432—438, qui comparandi sunt cum Hor. III. 25. 9—12 eandem rem tractantis.

Hor. III. 25. 9—12. *Non secus in iugis — Edonis stupet Euhias, — Hebrum prospiciens et nive candidam — Thracen ac pede barbaro — lustratam Rhodopen* etc.

Sen. 432—438 *Te Bassaridum comitata cohors — nunc Edono pede pulsavit — sola Pangaeo, nunc Threicio — vertice Pindi; nunc Cadmeas — inter matres impia maenas — comes Ogygio venit Iaccho, — nebride sacra praecincta latus* etc. Respondent autem verba Horatii *in iugis* ***Edonis*** Senecae ***Edono*** *Pangaeo,* Horatii *Hebrum prospiciens et nive candidam* ***Thracen,*** Senecae *nunc* ***Threicio*** *vertice Pindi,* denique Horatii *Euhias* Senecae *Bassaridum cohors* et *impia maenas* et Horatii *pede barbaro lustratam* et Senecae *pede pulsavit.* Quam ob rem Peiperus non recte fecisse mihi videtur eiecto versu 434 (apud eum 440b, 441a) *nunc threicio vertice Pindi,* quoniam respondet Horatii v. 10 *nive candidam Thracen.* Etsi de vertice Pindi, quem Thessaliam ab Epiro seiungentem nusquam Thraciam attingere notum est, Thracia conspici non potest ideoque is vertex perperam *Threicius* a Seneca vocatur, tamen eadem licentia fuit Horatius, cum ex iugis Edonis seu de monte Pangaeo Euhiam sive Baccham *Hebrum (!) prospicientem et nive candidam Thracen et pede barbaro lustratam Rhodopen* fecit. Quod igitur ad sensum pertinet, ille versus non erat tollendus; quod constructionem interrumpit, eius mali nullum inveni remedium. Postremo Edonos in Macedonia Bacchum colere adfirmat iam Horatius II. 7. 27 *non ego sanius bacchabor Edonis.* Ad versus 467 et 468, quibus Pactoli fluminis aurum vehentis mentio fit, conferri licet Hor. epod. 15. 20 *sis pecore et multa dives tellure licebit — tibique Pactolus fluat.* Eundem, quem Horatius IV. 3. 34 (*et laetum equino sanguine Concanum*) de gente quadam Hispaniae commemorat, morem Seneca Massagetarum esse dicit v. 470 *lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet,* qui etiam v. 473—474 *et quos vicinus Boreas ferit —* ***arva mutantes*** respicere videtur ad Hor. III. 24. 11 sqq. *vivunt et rigidi Getae, — inmetata quibus iugera liberas — fruges et Cererem ferunt, — nec cultura placet longior annua — defunctumque laboribus — aequali recreat sorte vicarius.* Minoris momenti est, quod Seneca quoque Iunonem Argis potissimum cultam esse refert v. 487 *et Argos praesente Bacchum coluit noverca;* cf. Hor. I. 7. 9. Denique v. 497 *ducitur*

magno nova nupta caelo Seneca respicit fabulam, qua Ariadnen a Theseo Naxi relictam a Baccho uxorem ductam et a Venere corona donatam esse antiqui narrabant et postea novem stellis ornatam et caelo impositam a Baccho coronam Gnosiae vocabant. Sed priusquam ad aliud genus imitationis transeam, adnotare mihi liceat Senecam v. 486 *Proetides silvas petiere* fortasse sumpsisse ex Verg. eclog. 6. 48 *Proetides implerunt falsis mugitibus agros.* De Proetidibus nihil est apud Horatium dictum.

Quod ad imitationem singularum locutionem vel vocum attinet, *lucidum caeli decus* in v. 405 in Hor. carm. saec v. 2 inveniri iam Torkillus Badenus adnotavit. Ad v. 430 *turgida* ***pampineis redimitus tempora sertis*** cf. Hor. III. 25. 20 *sequi deum* ***cingentem viridi tempora pampino*** et IV. 8. 33. ***ornatus viridi tempora pampino.*** Idem mos scribendi in v. 427, ubi *qui bibet Gangen* etc. dictum est pro accola Gangis, deprehenditur in Hor. II. 20. 20, III. 10. 1, IV. 15. 21. Pariter *laxatum arcum habere* pro *victum esse* invenimus in Sen. v. 469 ***laxavit*** *victos* ***arcus*** *Geticasque sagittas* et Hor. III. 8. 23 *iam Scythae* ***laxo*** *meditantur* ***arcu*** *cedere campis.* De plagae septentrionalis significatione in v. 473 *et quos* ***vicinus Boreas*** *ferit* cf. Hor. III. 24. 37 ***Boreae finitimum*** *latus.* Conferas etiam in v. 478 *ille* ***dispersos domuit Gelonos*** et Hor. II. 9. 23 ***intraque praescriptum Gelonos exiguis equitare campis.*** Prorsus poeta ex Hor. III. 20. 14 ***sparsum odoratis umerum capillis*** sumpsit locutionem in v. 498 sq. *solemne Phoebus carmen* — ***infusis humero capillis*** — *cantat.* Item in v. 502 ***telum deposuit*** *Juppiter* ***igneum*** conferri potest cum Hor. I. 3. 40 sq. *neque per nostrum patimur scelus — iracunda Iovem* ***ponere fulmina.*** Restat dicere in v. 506 *dum matutinos praedicet Lucifer ortus* admonere Hor. II. 9. 12 *nec tibi Vespero surgente decedunt Amores — nec rapidum fugiente solem.*

Oedipus.

III. canticum variis metris mixtum v. 709—763.

Totum hoc canticum Seneca adumbravit ex Ovid. Metam. III. 14—200, ubi de erroribus Cadmi, filii Agenoris regis Tyrii, Europam sororem quaerentis eiusque pugna cum dracone eo loco, quo postea Thebae fuerunt, et de Spartis factis et Thebis conditis, postremo de Actaeone eius nepote a Diana, quam corpus lavantem conspexerat, in cervum mutato v. 155—200 poeta ille eodem rerum ordine rettulit, quem Seneca in hoc cantico retinet. Quae cum ita sint, quo iure vel quibus causis commotus Peiperus versus 772—784 (apud Leonem 751—763), qui de Actaeone sunt, in Observatorum lib. p. 36 ex Oedipi I. fragmentis „male huc delatos esse“ suspicatus sit, parum intellego.

Itaque perpauca tantam Horatiana vestigia in hoc cantico inveniri nemo mirabitur. Atque mihi initium cantici magnopere admonere videtur

ineuntis carminis Hor. III. 6. 1 *Delicta maiorum inmerito lues, Romane,* cf. Sen. 709—712 *Non tu tantis causa periclis, — non hinc Labdacidas petunt — fata, sed veteres deum — irae secuntur.* Deinde v. 724 *tempore ex illo nova monstra semper — protulit tellus* eandem rem quamvis alio rerum ordine expressit Horatius epod. 16. 10 *ferisque rursus occupabitur solum.* In hoc quoque cantico verba Horatii simpliciter breviterque posita a Seneca aucta atque exornata sunt: v. 726 sqq. *aut anguis imis vallibus editus* etc. collato Hor. IV. 4. 63 sq. *monstrumve submisere Colchi — maius Echioniaeve Thebae.* Pariter res se habet v. 748 *hac transierit civile nefas,* si comparaveris cum Hor. III. 6. 19 sq. *hoc fonte derivata clades — in patriam populumque fluxit.* Utriusque poetae communis est descriptio vitae castrensis vel belli: Sen. 732 sq. *sonuit reflexo — classicum* **cornu lituusque** *adunco — stridulos cantus elisit aere* et Hor. II. 1. 17 sq. *iam nunc minaci murmure* **cornuum** *— perstringis aures, iam* **litui** *strepunt* et I. 1. 23 *multos castra iuvant et lituo tubae — permixtus sonitus.* Imitationis singularum vocum exempla duo repperi, unum ex Hor. III. 4. 61 *qui rore puro* **Castaliae** *lavit — crines solutos,* ubi vox *Castaliae* occurit in v. 712 *Castalium nemus,* alterum in versu, qui sequitur, 713 *umbram Sidonio praebuit hospiti,* ubi nomen *Cadmus* duabus expressit vocibus Seneca *Sidonio hospiti,* pariter atque ab Horatio III. 3. 26 Paris *famosus hospes* appellatur.

Oedipus.

IV. canticum glyconeum v. 882—914.

Laudes mediae fortunae, quae a choro sublimis vitae instabilitati praefertur, plane imitationem Horatii, qui hanc potissimum sententiam adamavit, indicant, id quod iam a Torkillo Badeno et Zingerlio perspectum et uno alterove exemplo illustratum est. Inprimis ipsa vitae cum navigatione comparatio nos tamquam adducit ad Horatii carmen II. 10 *Rectius vives, Licini, neque altam* etc. et in fine carminis eiusdem v. 22—24 *sapienter idem — contrahes vento nimium secundo — turgida vela.* Constat autem materiam prioris partis cantici ab initio usque ad v. 891, alterius partis usque ad v. 908, ubi de casu Daedali eiusque filii Icari poeta canit, ex tribus carminibus Horatianis petitam esse ita, ut v. 892—898 (*Cnosium regem timens . . . nomen eripuit freto.*) Icari mortem narrantes ex Hor. IV. 2. 2—4 *(Iule ceratis ope Daedalea — nititur pennis vitreo daturus — nomina ponto),* qui autem sequuntur versus 899—905 *(callidus medium senex . . . . conligit fetus avis)* ad Daedalum pertinentes ex Hor. I. 3. 34—35 *(Expertus vacuum Daedalus aera — pennis non homini datis),* denique postremi versus 906—908 (*donec in ponto manus — compede audacis viae*) rursus ad Icarum respicientes ex Hor. II. 20. 13 *iam Daedaleo tutior Icaro* etc. adum-

brati sint. Itaque in versibus cantici 882—910 materia pulcherrime distributa est: versus 882—891 quasi in capite totius cantici principem de fortuna media sublimiori praeferenda sententiam habent, versibus 892—908, quo casu animus mediam sortem spernens maioremque appetens adfligi possit, exemplo Daedali et Icari illustratur, denique versibus iusti cantici ultimis 909—910 *quidquid excessit modum — pendet instabili loco* ad superiorem sententiam poeta revertitur. Exemplum autem ipsum tripertitum esse supra demonstravi ita, ut hanc habeamus formam: $\underbrace{\overset{A}{a}\quad\overset{B}{b}\quad\overset{A}{a}}$

Ut vero ad singula imitationis vestigia aggrediar, ea, quae maioris momenti sunt, iam supra attuli itaque restat, ut minora ostendam. Atque ad v. 886 in comparatione vitae cum navigatione *spiritu antennae tremant* iam Zingerlius contulit Hor. I. 14. 6 *antennaeque gemunt*, quem ob locum teste Badeno Iacobus de Rhoer Ter. Daventr. p. 45 *gemant* etiam apud Senecam ponere voluit, sed falso, quoniam apud ipsum Senecam Phaed. 316 *dum tremunt axes graviore curru* legimus. Versus 887—889 *lenis et modice fluens — aura nec vergens latus — ducat intrepidam ratem* tam accurate Seneca ex Hor. III. 18. 62—65 desumpsit, ut vocabula *aura, rates, intrepidus* vel prorsus integra vel paulo immutata retineret: *Tum me* ***biremis*** *praesidio* ***scaphae*** *— tutum per Aegaeos tumultus —* ***aura*** *feret geminusque Pollux;* similis locus est Hor. II. 10. 23 *contrahes vento nimium secundo — turgida vela.* Una voce retenta imitationem Horatianam deprehendas in v. 890—891 *tuta me* ***media*** *vehat — vita decurrens via* collato Hor. II. 10. 5 *Auream quisquis* ***mediocritatem*** etc. Pariter v. 896 *ac falsis nimis — imperat pinnis puer* respicit ad Hor. II. 2. 7 *illum aget penna metuente solvi*, quae verba verisimiliter ad casum illum Icari spectant. Postremo adnotare mihi liceat ad v. 898 *nomen eripuit freto* Horatium de eadem re, sed adfirmantis modo dicentem cecinisse IV. 2. 4 *vitreo daturus nomina ponto,* quem locum iam Zingerlius attulit. Totam, quae his continetur versibus, imitationem melius perspicies adscriptis utriusque poetae locis:

Hor. IV. 2. 2—4 [1] ***ceratis*** *ope Daedalea —* [3] ***nititur*** [2] ***pennis*** *vitreo* [6] ***daturus*** *—* [4] ***nomina*** [5] ***ponto.***

Sen. 896—898 [1] ***falsis*** *nimis —* [3] ***imperat*** [2] ***pinnis*** *puer, —* [4] ***nomen*** [6] ***eripuit*** [5] ***freto.***

Oedipus.

V. canticum anapaesticum v. 980—997.

In hoc cantico, quo nimiam fati, cui ipsi dii subiecti sint, potentiam chorus effert, occurrunt sententiae earum similes, quas Horatius ubique de vanitate rerum humanarum ex disciplina Stoicorum docere solet. Iam

in primis cantici versibus 981—982 *non sollicitae possunt curae — mutare* ***rati stamina fusi*** eandem invenimus comparationem quam nusquam alibi nisi epod. 13. 15 *unde tibi reditum* ***certo subtemine Parcae*** Horatius adhibuit. Versibus autem, qui sequuntur, et propter similem sententiam et ob idem vocabulum adhibitum Seneca imitationis coarguitur Hor. carm. saec. 25—28 *Vosque veraces cecinisse, Parcae, — quod semel dictumst stabilisque rerum — terminus* ***servet****. bona iam peractis — iungite fata*, cf. Sen. 983—986 *quidquid patimur mortale genus, — quidquid facimus venit ex alto, —* ***servatque*** *suae decreta colus — Lachesis nulla revoluta manu.* Ad v. 989 *non illa deo vertisse licet* conferri potest Horatii locus, ubi eodem sensu, quamvis de alia re, dicit haec III. 29. 45 sqq. *Non tamen inritum — quodcumque retrost, efficiet neque — diffinget infectumque reddet, — quod fugiens semel hora vexit.* Idem sensus, qui versibus 991—992 *it cuique ratus prece non ulla — mobilis ordo* a Seneca datus est. deprehenditur in epithetis, quae indita sunt Parcis ab Horatio veluti II. 6. 9 *unde si Parcae prohibent* ***iniquae,*** II. 16 39 *Parca non* ***mendax*** etc., carm. saec. 25 *nosque* ***veraces*** *cecinisse Parcae.* Versuum denique 992—904 *multis ipsum metuisse nocet, multi ad fatum — venere suum dum fata timent* similes exstant apud Horatium ad mortem respicientes II. 13. 13—14 (*quid quisque vitet, numquam homini satis — cautumst in horas*), ibid. 19—20 (*sed improvisa leti — vis rapuit rapietque gentes*); II. 14. 2—4 (*non pietas moram — rugis et instanti senectae — adferet indomitaeque morti*), ibid. 15—16 (*frustra per autumnos nocentem — corporibus*), II. 16. 17—20 *quid brevi fortes iaculamur aevo — multa? Quid terras alio calentes — sole mutamus?* (cf. Sen. v. 993—994). *Patriae quis exsul se quoque fugit?* et idem sensus tropo auctus III. 1. 37—40 *Sed Timor et Minae — scandunt eodem . . . . . quo dominus, neque — decedit aerata triremi et — post equitem sedet atra cura*, quibus ex sententiis tamquam causis oriuntur apud Horatium hae: I. 9. 9 *permitte divis cetera;* II. 11. 3—4 *remittas — quaerere nec trepides in usum poscentis aevi pauca;* I. 11. 8 *carpe diem;* III. 8. 27—28 *dona praesentis cape laetus horae, — linque severa.*

VI. Agamemnon.

I. canticum anapaesticum v. 57—107.

Naturam huius cantici bene perspicit Zingerlius l. c. p. 16 adfirmans maxime ex fine intellegi posse, unde Seneca materiam sumpserit: ex Hor. II. 10. Sed multo memorabilius est, quod Annaeus ad singulas strophas, quas Peiperus et Richterus in editione sua constituerunt, componendas singulis carminibus Horatii usus est ita, ut in versus 57—63 totius cantici argumentum ex Hor. carm. II. 10 adumbratum tamquam in unum cogeret, rem ex aliis carminibus depingeret, in medio fere cantico 90—97 sen-

tentias item ex Hor. II. 10 sumeret, denique in fine cantici ad idem carmen rediret. Atque in singulis versibus haec Horatii carmina maxime adhibita investigavi:

Sen.	57—63,	64—70,	71—76,	77—82,	83—89,	90—97,	98—102,	103—105,	106—107
Hor.	II. 10	II. 20	II. 16	I. 2	I. 34	II. 10	I. 34	III. 16	II. 10

Commemorata iam Zingerlii sententia versus 64—70, quod ad imitationem et sententiae et singularum vocum pertinet, desumpti esse videntur ex Hor. II. 20. 13—16 *Jam Daedaleo tutior Icaro — visam gementis litora* ***Bospori*** (cf. in Sen. v. 66 ***Euxini*** *turget ab imis . . . unda)* — ***Syrtesque Gaetulas*** (cf. v. 64 ***Libycis syrtibus****)* *canorus — ales* ***Hyperboreosque*** (cf. v. 67 *unda* ***nivali vicina polo****)* *campos.* Conferas etiam ad v. 64 sq. *non sic Libycis syrtibus aequor —* ***furit alternos volvere fluctus*** Hor. I. 22. 5 *sive per Syrtes iter* ***aestuosas*** et II 6. 3 *barbaras Syrtes, ubi Maura* ***semper aestuat unda.*** — In versibus 71—76, praecipue in v. 73—76 *(non nox illis — alma recessus praebet tutos, — non* ***curarum somnus domitor*** *— pectora solvit)*, adhibitum est carmen Hor. II. 16. 16—17 *non leves somnos timor aut cupido — sordidus aufert;* cf. etiam II. 16. 9—12 *non enim gazae neque consularis . . . mentis* et ***curas*** *laqueata circum — tecta volantes;* ibid. v. 21—22 *scandit aeratas vitiosa naves —* ***cura*** *nec turmas equitum relinquit;* III. 1. 37—40 *Sed timor et Minae — scandunt eodem . . . post equitem sedet atra* ***cura.***

Versuum 77—82 miseriae belli domestici describendae inservientium materiam Seneca mutuatus est ex Hor. I. 2; maxime autem ad v. 78—82 *(impia quas non — arma fatigant? iura pudorque — et coniugii sacrata fides — fugiunt aulas; sequiturque tristis sanguinolenta Bellona manu)* pertinent versus Hor. I. 2. 21—24 *Audiet cives acuisse ferrum, — quo graves Persae melius perirent, — audiet pugnas* ***vitio parentum — rara iuventus*** (cf. in v. 80 *coniugii sacrata fides,* quam sententiam Horatius acerbius pronuntiavit). Manifestior est imitatio in v. 81—82 supra adscriptis, qui hisce Horatianis respondent ibid. 37—40. *Heu nimis longo satiate ludo, — quem iuvat clamor galeaeque leves — acer et Marsi peditis* ***cruentum*** *— vultus in hostem.* cf. v. 82., ubi pro Marte Bellona nominatur. — Versus 75—89 nihil sunt nisi versus Horatiani subfrigide aucti atque immutati I. 34. 12—13 *valet ima summis — mutare et insignem attenuat deus,* quod etiam in v. 98—102 valet. — Versus 90—96 ex Hor. II. 10 adumbratos esse iam supra dixi; restat, ut imitationem in singulis versibus separatim ostendam. Itaque iam manifesta imitatio exstat in

1 2 1 2
v. 90—91 ***vela secundis inflata notis*** *— ventos nimium timuere suos*

2
collatis cum Hor. II. 10. 22—24 *sapienter idem — contrahes* ***vento***

2 1 1
nimium ***secundo*** — ***turgida vela.*** Pariter res se habet v. 92—93
1. 2. 3.
nubibus ipsis inserta caput — ***turris pluvio vapulat Austro,***
1.
quibuscum iam Badenus comparavit Hor. ibid. v. 10—11 ***et celsae***
3. 2.
graviore casu decidunt turres et v. 94—95 *densasque nemus spar-*
1. 2.
gens umbras — ***annosa*** *videt* ***robora*** *frangi,* qui paulo immutati sunt ex
1. 2.
Hor. ibid. v. 9. *saepius ventis agitatur* ***ingens*** — ***pinus.***

Recte item se habet v. 103 *modicis rebus* — *longius aevum* secundum Hor. ibid. v. 13—14 *Sperat infestis, metuit secundis* — *alteram sortem bene praeparatum pectus.* Denique ad v. 103—104 *felix mediae* — *quisquis turbae sorte quietus* iam Badenus contulit Hor. III. 16. 22—24 *nil cupientium* — *nudus castra peto et transfuga divitum* — *partes linquere gestio.* Etsi non hunc ipsum locum, tamen hoc carmen mihi quoque videtur Seneca ante oculos habuisse cum propter similem sententiam tum propter hoc tetrastichon ibid. 29—32, ubi eadem fere verborum coniunctio occurrit; cf. in v. 104 *sorte quietus* et Hor. v. 32 *sorte beatior.* In fine cantici Annaeus, quod iam Zingerlius observavit, ad carminis II. 10 argumentum revertens versus 105—107 *aura stringit litora tuta* — *timidusque mari credere cumbam* — *remo terras propriore legit* certe adumbravit ex Hor. II. 10. 1—4 *Rectius vives, Licini, neque altum* — *semper urguendo neque dum procellas* — *cantus horrescis nimium premendo* — *litus iniquum.*

Agamemnon.

II. canticum anapaesticum v. 310—407.

Iam Zingerlius l. c. p. 17 sq. admonuit, quantopere hoc canticum, inprimis illa pars, quae de Phoebo est, similes locos Horatianos in mentem revocet, et ipse eius rei exempla ex Hor. I. 2. 21, 22, II. 1. IV 6 attulit. Hac re ad perscrutandum hoc canticum incitatus ego multo maiorem, quam speraveram, fructum cepi, ut me nunc demonstrare posse credam toto hoc cantico praeter paucas amplificationes ne unam quidem sententiam inveniri, quae vere Senecae propria dici possit. Itaque, ne ordo sententiarum nimis distrahatur, versuum ordinem sequens imitationem demonstrabo.

Primum ad initium cantici, maxime ad v. 310 *(Canite, o pubes inclita, Phoebum!)* eadem cum Zingerlio exempla sunt adnotanda. Contulit autem bene vir ille doctissimus Hor. IV. 6. 37 *rite Latonae puerum canentes* et

I. 21. 2 *intonsum pueri dicite Cynthium,* quorum carminum posterius cum in hoc versu, tum in aliis exemplum Senecae fuisse infra ostendam. Atque certe, ut hoc quoque imitationis genus tangam, in versibus, qui sequuntur 318—321, locutio *(quaeque Erasine gelidos fontes, — quaeque Eurotan, — quaeque virenti tacitum ripa — bibis Ismenon)* referenda est ad Horatium, ubi cf. II. 20. 20 *discet Hiber Rhodanique potor,* III. 10. 1 *Extremum Tanain si biberes, Lyce,* IV. 15. 21 *non qui profundum Danuvium bibunt.* Eiusdem momenti ducam, quod in v. 312—314 (*virgineas ... comas innuba fudit)* eiusdem moris mentio fit apud Horatium II. 5. 21—24. Pariter locutionem *arcum laxare* vel *relaxare* pro *bello de sistere,* quam legimus in v. 326 — 327 sumpsit aperte ex Hor. III. 8. 23—24; conferas ad sensum Hor. carm. saec. 33—34 *condito mitis placidusque telo — supplices audi pueros, Apollo.*

Apertior imitatio exstat in v. 328—329 ***umeroque** graves levibus telis* — ***pone pharetras,*** ubi constructione *umero pharetram ponere* ducimur ad Hor. III. 4. 60 *numquam umeris positurus arcum.* Sed versibus 330—331 commotus conferre malim Hor. I. 21. 11 *insignem pharetra,* propterea quod utriusque loci et vox *pharetra* est communis et haec sententia in v. 12 *fraternaque umerum lyra,* ad quod conferas Sen. v. 330—331 *resonetque manu pulsa citata — vocale chelys.* — Versus 332—337 *nil acre velim magnumque modis — intonet altis, — sed quale soles* ***leviore lyra*** *— flectere carmen — simplex, lusus cum docta tuos — Musa recenset)* sententiae forma tota desumpta est ex Horatio, apud quem bis occurrit II. 1. 37—40 *Sed ne relictis Musa procax iocis — Ceae retractes munera naeniae — mecum Dionaeo sub autro — quaere modos* ***leviore plectro*** (— exemplum imitationis singularum vocum iam Zingerlius adnotavit —) et III. 3. 69—72 *Non hoc* ***iocosae*** *conveniet* ***lyrae.***

Deinde manifesta imitatio Horatiana et argumento et singulis vocabulis exstat in v. 340—341 *cum* ***Titanas fulmine victos*** *— videre dei* collatis cum Hor. III. 4. 42—42 *Scimus ut impios —* ***Titanas*** *immanemque turbam —* ***fulmine sustulerit*** *caduco* eidemque carmini tanta est similitudo Senecae versuum 342—347, ut loci, qui separatim adscribantur, digni esse videantur:

4

Sen. 342 — 347 *vel cum montes montibus altis —* ***super impositi***

1. 4. 3

— struxere gradus ***trucibus monstris,*** *— stetit* ***imposita*** *—* ***Pelion***

2. 2.

Ossa. ***pinifer*** *ambos — pressit* ***Olympus.***

Hor. III. 4. 42 — 44 *Magnum illa terrorem intulerat Iovi — fidens*

1. 2. 3.

iuventus horrida bracchiis *— fratresque tendentes* ***opaco*** *—* ***Pelion***

4. 2.

imposuisse Olympo.

Item versus 348—354, quod iam retentis urbium nominibus confirmatur *(ades, o magni, soror et coniunx, — consors sceptri, — regia Iuno: tua te colimus — turba* ***Mycenae.*** *— Tu solicitum supplexque tui — numinis* ***Argos*** *— sola tueris)* amplificati sunt ex Hor. I. 7. 9—10 *Plurimus in Iunonis honore — aptum dicet equis* ***Argos*** *ditesque* ***Mycenas.***

1.

Deinde ad v. 369—371 *incluta Pallas, — quae* ***Dardanias***

3. 2. 4.

cuspide turres *saepe* ***petisti*** optime Zingerlius attulit versus Hor. IV.

1. 2. 4.

6. 7—8 mira similitudine consentientes ***Dardanas turres quateret***

3.

tremenda — ***cuspide*** *pugnax.*

Mirum in modum Seneca vers. 382—385, quibus Diana appellationibus Triviae et Lucinae vocatur, consentit et cum Horatio III. 22. 1—4 et cum Catallo 34. 13—16.

1

Sen. 382—385 *et te* ***Triviam*** *nota memores — voce precamur: —*

2.

tu maternam sistere Delon, — ***Lucina,*** *iubes;* Catull. 34 13—16 *Tu*

1.

Lucina, *dolentibus — Iuno dicta puerperis. — Tu potens* ***Trivia*** *et notho es — dicta lumine Luna;* Hor. III. 22 1—4 *Montium custos nemo-*

2.

rumque, Virgo, — quae laborantes ***utero puellas*** *— ter vocata audis*

2.

adimisque leto — ***diva triformis.*** Ad Dianae nomina Lucinae, Ilithyiae, Genitalis conferas Hor. carm. saec. 13—16. Hic tempus est adnotare ad v. 394 *(tu maternam sistere Delon)* locos Horatianos, qui fortasse in epitheto Deli fingendo Senecae ante oculos fuerunt: I. 21. 10. *natalemque mares Delon et Apollinis* et de eodem numine III. 4. 63—64 *qui Lyciae tenet — dumeta natalemque silvam — Delius et Patereus Apollo.* Ceterum, quod ad v. 392, ubi de Nioba poeta loquitur, pertinet, his versibus Senecam imitatorem se praestitisse suspicor, quoniam fabulam Niobae adhibit, quam Horatius semel tantum IV. 6. 1 breviter atque in eo ipso carmine tangit, quo Apollinis et Dianae laudibus inserviente Senecam, ut iam Zingerlius ad v. 370—371 ostendit, usum esse constat.

Postremo nonnulla imitationis iudicia ad finem cantici adnotanda sunt. Atque de vers. 400—401 *(tuque ante omnes,* ***pater ac rector*** *— fulmine pollens)* conferri possunt hi loci Hor. sat. II. 1. 42 *o* ***pater et rex*** *Iuppiter,* carm. IV. 4. 2 *rex deorum,* III. 5. 1 *caelo tonantem credidimus Iovem — regnare;* epod. 17. 69 epist. I. 17. 34 carm. I. 2. 2. Denique de Iove Tonante loci omnes sunt hi I. 2. 2

I. 3. 40, I. 16. 12, III. 1. 6. Pariter versus 402—403 *cuius nutu simul extremi — tremuere poli*, nisi forte imitationem ipsius Homeri cogitas, reicies ad Hor. III. 1. 8. *cuncta supercilio moventis.* Optime autem contulit Zingerlius Horatii versus de Venere I. 2. 35—36 *sive neglectum*
1. 3. 2.
genus *et nepotes* — ***respicis auctor*** cum Senecae vers. 404—407
1. 2. 2.
generis *nostri, Iuppiter,* ***auctor,*** — *cape dona libens* — ***abavusque***
3.
tuam non degenerem — ***respice*** *prolem.* Contrariam Senecae sententiam Horatius protulit III. 6. 46—48 *aetas parentum peior avis — nos nequiores mox daturos* — ***progeniem vitiosiorem.***

Agamemnon.

III. canticum polymetrum v. 589—658.

In hoc cantico Seneca non solum Flaccum, sed etiam Vergilium ita imitatus est, ut priorem partem in communibus sententiis versantem ex Horatio desumeret, narrationem excidii Troiae a Vergilio mutuaretur. — Itaque formam sermonis, qua usus Horatius III. 1. 3 *iustum et tenacem propositi virum* praedicaverat, Seneca mutuatus est, ut quietem mortuorum depingeret. Imitatio vero illius carminis est apertissima.

1.
Sen. 594—598 *nullus hunc terror nec impotentis* — ***procella*** *For-*
2.
tunae movet aut iniqui — ***flamma Tonantis.*** — *Pax alta nullos* —
3. 4.
civium *coetus timet aut minaces* — ***victoris*** *iras.* — Hor. III. 3. 1—6
3.
Iustum et tenacem propositi virum — ***non civium ardor prava iu-***
4.
bentium — ***non voltus instantis tyranni*** — *mente quatit solidaque*
1. 2.
Auster, — *dux inquieti turbidus Hadriae* — *nec* ***fulminantis*** *magna manus* ***Jovis.*** Ceterum etiam huc referas v. 598 *non maria asperis — insana* ***coris*** collatum cum Hor. ibid. v. 5 *neque* ***Auster*** — *dux inquieti turbidus Hadriae.* At v. 599—601 *non acies feras — pulvereamve nubem — motam barbaricis equitum catervis* ex suopte conflavit ingenio; versus autem, qui sequuntur 602—604 *non urbe cum tota populos cadentes, — hostica muros populante flamma, — indomitumve bellum* certe adumbravit et longiore circuitu reddidit Hor. ibid. v. 7—8 *Si fractus inlabatur orbsi*

1.
— *impavidum ferient ruinae.* Item v. 605—611 ***perrumpet omne ser-***
2.
vitium — contemptor levium deorum, — *qui vultus Acherontis atri,* — *qui Styga tristem non tristis videt — audetque vitae ponere finem,* — *par ille regi, par superis erit. — O quam miserum est nescire mori!* recordationem movent Hor. IV. 9. 46—52, ubi de alia re similis sententia invenitur: *Rectius occupat — nomen beati, qui deorum — muneribus sapi-*
1.
enter uti — duramque callet pauperiem pati — ***peiusque leto flagitium***
2.
timet — ***non*** *ille pro caris amicis — aut patria* ***timidus perire;*** cf. v. 611.

Altera pars cantici v. 627—658 ex Virgilii Aen. libro secundo, ubi de excidio Troiae Aeneas refert, petita est. Quamquam imitationem Virgilianam demonstrare non constitui, tamen re ipsa, ut eam demonstrem, quasi invitor. Itaque quam libere Annaeus Vergilium hoc loco expilaverit, iam ex hisce exemplis cognosces.

Sen. 627 sqq. *Vidimus simulata* ***dona — molis*** *immensae. Danaumque.*

Verg. II 31 *Pars stupet innuptae* ***donum*** *exitiabile Minervae — et* ***molem*** *mirantes equi.*

Sen. 629 *fatale munus duximus nostra — creduli dextra.*

Verg. II. 235 sq. *Accingunt omnes operi pedibusque rotarum — subiciunt lapsus et stupea vincula collo — intendunt.*

Sen. 629—631 *tremuitque saepe —* ***limine in ipso*** *sonipes, cavernis — conditos reges bellumque gestans;*

Verb. ibid. 337 sq. *Scandit fatalis machina muros feta armis* et v. 242 sq. *quater* ***ipso in limine*** *portae — substitit atque utero sonitum quater arma dedere*; cf. Sen. 634—635 *saepe commotae sonuere parmae — tacitumque percussit aures.*

Sen. 632—633 *et licuit dolos versare, ut ipsi — fraude sua caderent Pelasgi.* — Verg. ibid. 35—38 *At Capys et quorum melior sententia menti — aut pelago Danaum insidias suspectaque dona* — (cf. Sen. v. 627 *simulata dona) praecipitare iubent subiectisque urere flammis — aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.*

1. 2.
Item v. 638 sq. *Secura metus* ***Troica pubes*** — *sacros* ***gaudet***
3. 4.
tangere funes etc. bene quadrant ad Verg. ibid. v. 238 sq. ***pueri***
1. 4.
circum innuptaeque puellae *sacra canunt* ***funemque*** *manu* ***con-***
3. 2.
tingere gaudent. Denique versus 651—652 *moenia, divum fabricata manu — diruta nostra?* auctos esse liquet ex hoc Virgilii II 234 *Dividimus*

muros et moenia pandimus urbis. Versus 656—658 ***vidi,*** *vidi senis in iugulo — telum Pyrrhi vix exiguo — sanguine tingui* admonent Verg. II. 499 ***Vidi*** *ipse furentem Neoptolemum* etc.

Agamemnon.

IV. canticum chori v. 664—692 anapaesticum in amoebeo chori et Cassandrae v. 659—781.

In hoc cantico Seneca usus est fabula de Procne et Philomela sororibus ita, ut Philomelam in lusciniam mutatam Itynque filium eius induceret, Procnen autem, quae vulgo mater Ityos putatur, hirundinem esse adfirmaret (cf. v. 675 „diri furta mariti"). Deos Philomelam in lusciniam, Procnen in hirundinem, Ityn, Procnes filium, in phasianum, Tereum in upupam convertisse communis fabula est; secundum Atticorum narrationem Procne in lusciniam, Philomela in hirundinem mutata est. Seneca vero Procnen Terei uxorem in hirundinem mutatam credit, ubi, quamquam communem fabulam secutus est, in eo dissentit, quod Ityn a Philomela, scilicet a matre, deploratum adfirmat. In versibus autem Horatii IV. 12. 5—8, ubi Itys defletur, Horatium ex Procne lusciniam factam esse putasse satis liquet. Tamen et ex argumento et summa compositionis similitudine satis constat Senecae carmen illud Horatii ante oculos fuisse:

1.

Hor. IV. 12. 5—8 *Nidum ponit,* ***Ityn flebiliter gemens*** —

2.

infelix avis *et Cecropiae domus — aeternum opprobrium, quod male barbaras — regumst ulta libidines;* Sen. 670—677 *non quae verno mobile*

2. 1.

carmen — ramo cantat ***tristis aedon*** — ***Ityn in varios modulata sonos,*** — *non quae tectis Bistonis ales — residens summis impia diri — furta mariti garrula narrat, — lugere tuam poterit digne — conquesta domum.*

Eadem vero fabula de oloribus ante mortem canentibus, quae occurrit in Senecae v. 677—680, invenitur etiam apud Horatium IV. 3. 19—20 neque ego propter hanc similitudinem imitationem subesse putaverim, quae inest in v. 686—690 describentibus ritum Corybantium Cybelem cum furore venerantium; cf. Hor. I. 16. 5—8 *Non Dindymene, non adytis quatit — mentem sacerdotum incola Pythius — non Liber aeque, non acuta, si geminant Corybantes aera.*

Denique in dimetris iambicis Cassandrae v. 759—774 vix unum vocabulum v. 769—771 inest, quod non se Horatio ablatum esse tam-

1. 2.

quam clamitet: Sen. 769—771 *et ecce, defessus senex* — ***ad ora ludentes***

3. 4. 5.
aquas — *non* ***captat oblitus sitim;*** Hor. sat. I. 1. 68 *Tantalus a*
1. 5. 2. 4. 3.
labris sitiens — fugientia captat flumina.

Agamemnon.

V. canticum v. 808–866 polymetrum.

In hoc cantico, quo chorus laudes canit Herculis, cuius sagittis Troia capta sit, perpauca sunt imitationis Horatianae vestigia, quod inde factum esse videtur, quod Flaccus res ab Hercule gestas numquam separatas tractavit. Versus autem Senecae, quibus aliqua Horatii imitatio cognosci possit, hos abnotabo.

Primum v. 808 sqq. *Argos nobilibus nobile civibus, — Argos iratae carum novercae*, etc. admonent Hor. I. 7. 8 sq. *Plurimus in Iunonis honore — aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.* Deinde eadem sententia invenitur in Senecae v. 820 sq. *nomen alternis stella quae mutat — seque mirata est Hesperum dici* et Hor. II. 9. 10 *nec tibi Vespero surgente decedunt Amores — nec rapidum fugiente solem.* Paulo autem manifestior imitatio exstat in v. 828 *o puer subiture caelum* collato cum Horatii versu item de Hercule dicto III. 3. 9–10 *Hac arte Pollux et vagus Hercules — enisus arces attigit igneas.* Denique magis singulas voces imitatus est vel commutavit Seneca in v. 835 *morte fecundum domuit draconem — vetuitque* ***collo pereunte*** *nasci*, cf. Hor. IV. 4. 61 *non hydra* ***secto corpore*** *firmior — vinci dolentem crevit in Herculem.* Pariter res se habet in v. 840 *duxitque ad ortus Hesperium pecus —* ***Geryonae*** *spolium* ***triformis,*** collato cum Hor. II. 14. 7 ***ter amplum,*** quamquam mihi imitatio Verg. Aen. VIII. 211 manifestior esse videtur ***tergimini*** *nece* ***Geryonae spoliisque*** *superbus — Alcides aderat.* Transpositum est epitheton Cerberi in v. 859–860 ad catenam, qua ab Hercule vinctus erat, sed conferas ipse *tractus ad caelum canis inferorum — triplici catena tacuit —* ***nec ullo*** *latravit ore* et Hor. II. 19. 31 *leniter atterens — caudam et recedentis* ***trilingui*** *— ore* etc. (cf. et *ore trilingui* certe ex hoc loco descriptum in stropha subditicia Hor. III. 11. 17–20). Deinde in v. 862 *colorem* pro *splendorem* usurpatum esse collato Hor. II. 2. 1 *Nullus argento color est avaris* iam Mitscherlichius in editione sua docuit. Idem vir doctus etiam ad v. 863–864 *te duce succidit —* ***mendax Dardanidae domus*** optime contulit Hor. III. 3. 27 ***Priami domus periura.***

VII. Thyestes.

I. Canticum v. 122—175 asclepiadeum.

Hoc canticum duas habet partes, quarum una v. 122—137 supplicationem deorum, ne maiores calamitates in Tantali domo fieri velint, altera v. 136—175 Tantali conditoris gentis facinorum ac poenarum apud inferos descriptionem continet; finem cantici abesse inde a Scaligeri temporibus usque ad hanc aetatem nemo negavit.

Tamquam fundamentum totius cantici versus ille item ex carmine asclepiadeo desumptus subesse videtur I. 8. 6 *Nec saevam Pelopis domum conamur etc.,* sed ita, ut, quod Horatius maiore cum modestia se posse adfirmavit, Seneca maiore cum audacia quam successu sibi proposuerit. Cum in aliis tum in hoc cantico Annaeus ita Horatium imitatus est, ut nonnumquam, quod hic paucis verbis dixisset, verborum abundantia augeret, interdum etiam res ab Horatio pluribus verbis amplificatas paucis absolveret sed ita, ut in utroque imitandi genere imitatio modo manifestior, modo obscurior fieret. Hoc genus imitationis adhibitum esse videmus in longioribus enuntiatis: v. 134—135 *nec succedat* ***avo deterior nepos*** *— et maior placeat culpa minoribus,* cf. Hor. III. 6. 46—48 *Aetas parentum peior* ***avis tulit*** *— nos nequiores mox daturos —* ***progeniem vitiosiorem.*** In initio cantici v. 123 ***Pisaeasque*** *domos* ***curribus*** *inclitas* cf. cum Hor. I. 1. 3 *sunt quos* ***curriculo*** *pulverem* ***Olympicum*** *collegisse iuvat;* IV. 2. 17—20 *Sive quos* ***Elea*** *domum reducit — palma caelestes pugilemve equumve dicit,* mutato terrae nomine; IV. 3. 4—5 *non equus impiger —* ***curru*** *ducet* ***Achaico*** *— victorem.* Denique conferas eodem imitandi genere versus Senecae adfectos cum Horatianis 137 *sicci* ***progenies impia Tantali*** et Hor. II. 18. 36 *hic* ***superbum*** *—* ***Tantalum*** *atque* ***Tantali*** *—* ***genus*** *coercet.* Magis Musae pedestri conveniens videtur Senecae v. 143 *notior — nulla est Ioniis fabula navibus* comparatus cum Hor I. 1. 14 *Myrtoum pavidus nauta secet mare.* Obscurior hic est imitatio Annaei, qui nomen Myrtili, a quo mare Myrtoum nominatum esse dicitur, in priore enuntiato posuit.

Prius imitandi genus invenimus in v. 125 *et* ***portus geminos et mare dissidens,*** cf. Hor. I. 7. 2 ***bimarisve*** *Corinthi,* item in v. 148 *mensas ut strueres* ***hospitibus deis,*** cf. I. 18. 7 *occidit et Pelopis genitor,* ***conviva deorum,*** appellatione Tantali paulo immutata. Denique ex Hor. epod. 17. 65 *egens benignae Tantalus semper dapis* Annaeus et versum 152 *stat lassus vacuo gutture Tantalus,* quamvis haud ita pulchre, et omnes insequentes adumbravit versus, quibus cruciatus Tantali in inferis describuntur, et argumento et se dignos et proprios, nam Horatius etiam facultate data tanta abundantia atque ubertate cruciatus hominum scelestorum, qua erat ingenii serenitate, vix depinxerit.

Thyestes.

II. canticum v. 336—403 glyconeum.

Hoc canticum in editionibus incipit a versibus 336—338 *(Tandem regia nobilis — antiqui genus Inachi — fratrum composuit minas)*, quos ab hoc loco plane alienos Richterus bene eiecit et sequentes versus *(Quis vos exagitat furor* etc.) initium, quod abreptum esse suspicatur, esse posse negat, quod equidem non intellego. Nam ab insidiis, quas Atreus modo cum satellite contra fratrem excogitaverat, exorsus chorus, qui iam scelera ab utroque fratre imminentia praesentit, furore, qui eos exagitaret, optime castigato canticum suum de vanitate potentiae et de bonitate vitae mediocris pronuntiat. Sed ne connexus cantici nimis distrahatur, quod ad quemque Annaei versum ex Horatio desumptum inveni, iam adnotabo.

V. 339 sqq. *Quis vos exagitat furor — alternis dare sanguinem* valde consentiunt cum Hor. epod. 7. 1 sqq. *Quo, quo scelesti ruitis aut cur dexteris — aptantur enses conditi?* Deinde Seneca ad mediocritatem vitae celebrandam transgressus omnia, quae regem non faciant, explicat, in quibus etiam (in v. 353—355) haec numerat *non quidquid fodit Occidens — aut unda Tagus aurea — claro devehit alveo.* Qui versus quamquam Petero teste in codice Etrusco desunt, tamen non cum Richtero suppositicii delendi sunt, quoniam et codex E mutilatus cum hoc tum aliis locis bene ex aliis manuscriptis suppletur et illi versus, quamvis non sint necessarii, tamen ex ingenio Annaei amplectentis talem descriptionis abundantiam orti nullam interpolationis suspicionem movent.

Versus 356—357 *non quidquid* ***Libycis*** *terit — fervens* ***area*** *messibus* desumpti sunt ex Hor. I. 1. 10 *quidquid de* ***Libycis*** *verritur* ***areis.*** Ab his versibus totum canticum refertum est locis Horatianis, plerumque ex II. 16, III. 1 et 2 et 3 desumptis, ubi aut de vanitate potentiae aut de tranquillitate vitae obscurae agitur. Itaque versus 348 - 349 *rex est qui posuit metus et diri mala pectoris* (cf. versus subfrigide repetiti 388 et 389 ideoque a Leone deleti) conferri licet cum Hor. II. 16. 15 *nec leves somnos timor aut cupido — sordidus aufert* et III. 3. 2 *non vultus instantis tyranni — mente quatit solida*, quem locum iam Zingerlius ad v. 358 adnotavit. Versus 350 *quem non ambitio impotens* eodem sensu dictus est quo Hor. III. 2. 17 *Virtus repulsae nescia sordidae.* Perlucidior iam est imitatio in v. 351—352 *et numquam stabilis favor — vulgi praecipitis movet* collatis cum Hor II. 2. 19—20 *nec sumit aut ponit secures — arbitrio popularis aurae.*

Genus imitationis, quod fit Horatii sententia pluribus a Seneca verbis aucta, occurrit in v. 358—362 *quem non concutiet cadens — obliqui*

1.

via ***fulminis,*** *— non Eurus rapiens mare — aut saevo rabidus freto —*

2. 3. 4.
ventosi tumor Hadriae, cf. Hor. III. 3. 5—6 *neque Auster, — dux*
2. 3. 4. 1.
inquieti turbidus Hadriae *— nec* ***fulminantis*** *magna manus Iovis;* conferas etiam Hor. III. 1. 25 sq. *Desiderantem, quod satis est, neque — tumultuosum sollicitat mare.* Sed cum Horatius in III. 3 descriptionem earum rerum, quae *iustum et tenacem propositi virum* terrere nequeant, vers. 7—8 *si fractus inlabatur orbis — impavidum ferient ruinae* terminet, Seneca tamquam eos versus variatione ex omni parte illustraturus pergit v. 363 sq. *quem non lancea militis, — non* ***strictus*** *domuit chalybs* cf. Hor. III. 1. 17 ***Destrictus ensis,*** *cui super impia — cervice pendet* etc. Contra v. 365 *qui* ***tuto*** *positus loco* nimirum is est, qui Hor. II. 10. 5—10 *Auream quisquis mediocritatem — diligit* ***tutus*** *caret obsoleti sordibus tecti* etc.

Alterum imitationis genus invenitur in v. 376—377 *certet Danuvii vadum — audet, qui pedes ingredi,* quibus unica vox Horatii IV. 15. 21 *profundum Danuvium* redditur. In versibus 378—379 *et (quocumque loco iacent) — Seres vellere nobiles* eadem gens, sed in certis sedibus celebratur, cf. Hor. I. 12. 55 *Sive subiectos Orientis orae — Seras et Indos,* III. 29. 27, IV. 15. 24 sq. V. 366—368 *(infra se videt omnia —* ***occurritque suo libens — fato nec queritur mori)*** est idem, qui apud Horatium IV. 9. 47—52 *deorum — muneribus sapienter uti — duramque callet pauperiem pati — peiusque leto flagitium timet —* ***non ille pro caris amicis — aut patria timidus perire.***

Versus 381—384 *nil ullis opus est equis, — nil armis et inertibus — telis, quae procul ingerit — Parthus, cum simulat fugas* magnopere admonent Hor. I. 22. 1—4 *Integer vitae scelerisque purus* etc., quo loco Horatiano nihil de armis dicitur, tela autem bene distributa ab Annaeo solo epitheto *inertibus* breviter adumbrantur. Etiam quod de Parthorum genere illo pugnandi Annaeus adfert, cum multis Horatii locis optime consentit veluti cum I. 19. 11 *et versis animosum equis Parthum dicere,* ubi *versis equis* voci Senecae *fugas, animosum* autem *simulat* respondet. Conferas etiam II. 18. 17, III. 2. 3, IV. 15. 17. Amplificatio, quae in 385—387 exstat, est vere Annaei. Ad versum 394 *me dulcis saturet quies* adnotavit Zingerlius l. c. pag. 14 Hor. II. 16. 37 *mihi parva rura* etc.; equidem addiderim Hor. II. 17. 32, III. 1. 45. III. 19. 28, IV. 5. 38. Ad totum locum conferatur Hor. III. 16. 18—19 *iure perhorrui — late conspicuum tollere verticem.* V. 394—395 *obscuro positus loco — leni perfruar otio* similes loci et sententia et sermone III. 1. 21 *somnus agrestium lenis virorum* etc. et III. 1. 45—48 *cur iuvidendis postibus* etc. In utroque exemplo loci Horatiani variati et amplificati sunt, Senecae simplex et rudis. Fortasse Senecae ante oculos obversatus est Hor. II. 3. 5—12 *Seu te in remoto gramine per dies — festos reclinatum bearis* etc. Postremo in v. 396 *nullis nota* ***Quiritibus*** anachronismum Lucianus Muel-

lerus in Jahnii Ann. tom. 89 (1864) p. 416 ostendit. Quamquam vero neque exemplo illo, quod vir ille doctissimus ex Hor. I. 1. 7—8 protulit (*quem si mobilium turba Quiritium — certat tergeminis tollere honoribus*), anachronismus excusatur neque alio loco Hor. III. 2. 23 (*coetusque vulgares et udam spernit humum fugiente penna*) emendatio eius „nullis notaque coetibus" satis firmatur, tamen hunc anachronismum vix tolerabilem esse certe est concedendum.

Thyestes.

III. canticum 546—622 sapphicum.

Hoc canticum Atrei pietatem praedicat, qua simultates et dissidia fratrum composuit (546—576), tamquam serenitas tempestatem sequitur (577—596). Altera parte de mobilitate rerum humanarum (596—622) disserit poeta et maxime potentibus Horatianum illud *compesce mentem* succlamat. In priore cantici parte Zingerlius l. c. p. 14 non solum imitationes Horatianas, sed etiam aliorum poetarum inveniri adfirmans ad v. 560 *otium tanto subitum e tumultu — quis deus fecit?* bene Verg. eclog. I. 6. *deus nobis haec otia fecit* attulit. In v. 557 ***sanguinem** Mavors **cupiens recentem*** amplioribus verbis reddidit poeta Horatii II. 14 13 *frustra **cruento Marte** carebimus.* At sententiam ab Horatio pluribus vocibus editam iisdem fere verbis Seneca reddidit 574—575 *iam silet **murmur grave classicorum,** — iam tacet stridor **litui strepentis*** cf. Hor. II. 17. 18 *iam nunc **minaci murmure** cornuum — perstringis aures iam **litui strepunt*** et epod. II. 5 *neque excitatur **classico** miles **truci.*** Deinde quod epitheton in v. 583 *rupe **ferventis** residens in **Aetnae*** occurit, eodem fere usus est Hor. epod. 17. 32 *nec Sicana **fervida** — virens in Aetna flamma.* Atque sententiam Horatii pluribus verbis ornatam, ubi tempestatem desinentem serenitatemque exsistentem describit I. 12. 29 (*Defluit saxis agitatus humor, — **concidunt venti** fugiuntque nubes — et minax, cum sic voluere, **ponto — unda recumbit**)* breviter absolvit Annaeus his verbis v. 587—588 *si suae **ventis cecidere** vires, — mitius stagno **pelagus recumbit**).* — In altera parte loci exstant, qui sententiam huius partis ex Hor. I. 34 fine sumptam esse etiam vocabulis adhibitis manifeste indicant, quod iam Zingerlius l. c. p. 15 ostendit. Ita v. 598 ***ima permutat** levis hora **summis*** totus congruit cum Hor. I. 34, 14 *valet **ima summis mutare.***

Memorabile est Senecam ex Horatii sententiis nonnumquam quasi ex praemissis, ut logico termino utar, conclusionem fecisse. Tale exemplum exstat in v. 604—607 *anxius sceptrum tenet et moventes — cuncta divinat metuitque casus — mobiles rerum dubiumque tempus,* quae verba tamquam fructum cepisse videtur Seneca ex hisce Horatii verbis II. 13. 13 *quid quisque vitet, numquam homini satis — cautumst in horas.*

Similiter v. 609 *ponite inflatos tumidosque vultus* comparari potest cum Hor. 6. 5. *Dis te minorem, quod geris, imperas* nisi forte idem est atque Horatianum illud *compesce mentem* (I. 16. 22) aliis verbis expressum. Idem genus imitationis usurpatum est in v. 610—611 *quidquid a vobis minor expavescit,* — *maior hoc vobis dominus minatur,* si comparaveris Hor. III. 4. 67 *idem odere vires — omne nefas animo moventes.* — Quod quidem Seneca in v. 607 *vos quibus rector maris atque terrae* substantivo, Horatius adiectivo reddidit I. 12. 15 *qui mare et terras variisque mundum temperat horis.* Denique duas sententias Horatii usitatiores de impotentia cuiusvis regni humani et de fragilitate rerum humanarum etiam a Seneca in hoc cantico adhibitas invenimus. Itaque in v. 612 *omne sub regno graviore regnum est,* quod iam Zingerlius bene contulit cum Hor. III. 1. 5 *regum timendorum in proprios greges, — greges in ipsos imperiumst Iovis;* equidem addiderim Hor. III. 4 47 *Divosque mortalesque turbas — imperio regit unus aequo.* Altera sententia occurrit in v. 615—616 *nemo confidat nimium secundis, — nemo desperet meliora lapsis,* quam comparaverim cum Hor. II. 10. 13—14 *sperat infestis, metuit secundis* etc. et ibid. 21—24 *rebus angustis animosus atque . . . turgida vela.* Denique in v. 619—620 *nemo tam divos habuit faventes, — **crastinum** ut posset sibi polliceri* eandem sententiam cognoscimus quam in Hor. I. 11. 9 *carpe diem, quam minimum credula postero* et vocibus quidem adhibitis similem in Hor. IV. 7. 17 *quis scit, an adiciant hodiernae **crastina** summae — tempora di superi?*

Thyestes.

IV. canticum v. 789—884 anapaesticum.

In hoc cantico, ne nimis ordo rerum distrahatur, primum verborum sententias et singulas voces ab utroque poeta pariter adhibitas absolvam, deinde ad maiorem materiam ex Flacci operibus petitam adgrediar. Sic in v. 791 vocabulum *decus* redit ad Horatium similem rem tractantem carm. saec. 2 *lucidum caeli decus.* Pariter in v. 801 *nondum **fessis bubus** arator* eadem verborum coniunctio est atque in Hor. III. 6. 43 ***bobus fatigatis*** et III. 13. 11 ***fessis** vomere **tauris.*** Denique eandem rem tractavit eodemque usus est vocabulo Seneca in v. 795—797 *nocturna vocat lumina **Vesper;** . . . iubet emeritos solvere currus*) atque Horatius II. 9. 10 *non tibi **Vespero** surgente decedunt Amores* etc. Alia exempla imitationis sententiarum sunt haec:

In versibus, qui 852. sequuntur, Seneca plerumque materiam ab Horatio accurate excultam breviter attigit veluti in v. 804—805 pugnam cum Gigantibus *numquid aperto — carcere ditis victi temptant — bella Gigantes,* quibus aperte respicit Hor. IV. 19. 21 sq. *Tu, cum parentis regna per arduum — cohors Gigantum scanderet impia* etc. et III. 1. 7 *reges in ipsos imperiumst Iovis — clari Giganteo triumpho* et de ea re

optime depicto III. 4. 49—56. Item fabulam de poena Tityi ab Horatio non semel tractatam ante oculos habuit in v. 806—808 *numquid Tityos — pectore fesso renovat veteres — saucius iras?* propter unum vocabulum paulo immutatum Hor. III. 4. 76 *incontinentis nec Tityi* **iecur** *— reliquit ales*; magis autem ad *veteres iras* pertinere videtur IV. 6. 2 *dive, quem proles Niobea magnae — vindicem linguae Tityosque* **raptor** *sensit* etc.; cf. etiam III. 11. 21. Etiam in v. 809 *num reiecto — latus explicuit monte Typhoeus?* (cf. ad *latus explicuit* a Peipero deletum B. Schmidtium in Ann. philol. et paedag. 97 [1868] p. 873) sumptus vel potius adumbratus est ex Horatii descriptione III. 4. 54 et 75 sq. *non peredit* **impositum** (cf. *explicuit latus*) *celer ignis Aetnam.* Ex eodem carmine, quod omnino hic exemplar imitandum proposuit, Seneca hanc mutuatus est materiam ad v. 810—812 *numquid struitur via Phlegraeos — alta per hostes et Thessalicum — Thressa premitur Pelion Ossa?* cf. Hor. III. 4. 51—52 *fratresque tendentes opaco — Pelion imposuisse Olympo.*

In ea cantici parte, ubi chorus interitum mundi veretur, nimia abundantia usus Seneca duodecim illa orbis signiferi sidera discripsit omnia: Arietem v. 850, Taurum v. 852, cuius caput ex Hyadis constat v. 853, Geminos sive Castorem et Pollucem v. 853, Cancrum v. 854, Leonem v. 855, Virginem v. 857, Libram v. 858, Scorpion v. 859, Arcitenentem v. 860—862, Aegocerota sive Capricornum v. 864, Aquarium v. 865, Pisces v. 866. Praeterea duo alia vel tria (quia Arctophylax sive Bootes v. 869 pars Ursarum est) descripsit haec: Anguem v. 870, quod sidus idem est ac Draco v. 871, et Arctophylaca (Booten vel Arcturum) v. 874 et Ursas 869, quae duae sunt, una maior, quae etiam Erymanthis vel Maenalis vel Parrhasis vocatur, altera minor seu Cynosura v. 872. Sed. videamus, quorum siderum ex iis, quae Seneca commemorat, iam ab Horatio in II. 17. 13—20, quod carmen certe Annaeo aute oculos erat, aut alibi mentio facta et quomodo Horatii descriptione Seneca usus sit.

Primum Hyades commemorantur Hor. I. 3. 24 *tristes Hyadas*, Gemini III. 29. 64 *geminusque Pollux*, Leo III. 29. 19 *stella versani Leonis — sole dies referente siccos*, cuius versus imitationem testatnr Seneca v. 855 *Leo flammiferis aestibus ardens*, cf. ad eam rem etiam Hor. epist. I. 10. 15—17, qui locus etiam ad Sen. v. 848 - 849 referendus est. Deinde Libra commemoratur ab Horatio uno eodemque versu ac Scorpios IV. 17. 17 *non Libra seu me Scorpios adspicit* **formidulosus** aperta imitatione, quem versum Seneca reddidit v. 858—859 *iustaeque cadent pondera Librae — secumque trahent Scorpion* **acrem.** Deinde in Capricorni sidere describendo v. 863 *pigram* **referens hiemem gelidus** *— cadet Aegoceros* Seneca obscuriorem explanavit Horatii versum II. 17. 19 *seu* **tyrannus — Hesperiae Capricornus undae,** cf. etiam III. 7. 6. De Ursarum sidere vel de Septentrionibus haec apud Horatium inveni: I. 26. 3 *quis sub Arcto rex* **gelidae** *metuatur orae*, cf. Sen. v. 872 **frigida** *duro Cynosura gelu*, deinde Hor. II. 16. 15 **opacum** *porticus excipiebat Arcton*, III. 1. 27 *nec saevus*

Arcturi cadentis impetus (scil. eiusdem atque Arctophylacis in v. 874) *aut orientis Haedi* proprie duorum siderum iu Arcturo, quorum ortus tempestates ac pluvias indicunt. Memorabile vero est, quod hic, quamvis propter numerum pluralem *Ursas* in v. 869 utramque Ursam et maiorem et minorem sequentibus versibus descriptum iri exspectaveris, sola Ursa minor describitur, nam huic quidem sideri sunt nomina Cynosurae et Arctophylaci. Restat adnotare v. 848—849 *hic qui nodum* ***vere benigno*** *— reddit* ***Zephyro*** *vela* ***tepenti*** imitationem prodere Horatianorum veluti I. 4. 1 *Solvitur acris hiems* ***grata vice*** *—* ***veris et Favoni*** et IV. 7. 9 *Frigora* ***mitescunt Zephyris.***

VIII. Hercules Oetaeus.

I. canticum v. 104–172 asclepiadeum.

In hoc cantico, quo chorus Oechalia patria diruta servitutem suam deplorat et immanes Herculis vires effert, quicumque fabulae scriptor fuit, magis singula Horatii vocabula quam sententias imitatus est; iam in ipso cantici initio et argumento et sermonis similitudine reminiscimur carminis I. 38, quo Flaccus pugna apud Actium commissa praeclaram Cleopatrae mortem celebrat. Certe enim multis ex partibus inter se comparari possunt scriptoris v. 109—110 *non* ***captiva dabit bracchia vinculis — nec pompae veniet nobile ferculum*** et Hor. I. 38. 31—32 ***privata deduci superbo – non humilis mulier triumpho.*** Item ad v. 123 sq.: *stamus.* ***nunc patrius messibus heu locus*** (ex edit. Richteri et Peiperi) — ***et silvis dabitur*** *lapsaque sordidae — fient templa casae* cf. Hor. I. 16. 18 sq. *Altis urbibus ultimae — stetere causae, cur — perirent funditus imprimeretque* ***muris — hostile aratrum*** *exercitus insolens.* Pariter de Troia diruta loquitur Hor. III. 3. 40 sqq. *dum Priami Paridisque busto — insultet armentum et catulos ferae — celent inultae* (cf. *et silvis dabitur*), qui versus etiam referri possunt ad v. 125 sq. *iam gelidus Dolops — hac ducet pecudes, qua tepet obrutus — stratae qui superest Oechaliae cinis* (cf. Hor. *insultet armentum*). Denique poeta in v. 167 *quis vastus Briareus, quis tumidus* ***Gyas*** propter eundem Gigantem nominatum Horatium ante oculos habuisse videtur II. 17. 14 *centimanus* ***Gyas,*** cf. Hor. III. 4. 69 in stropha suppositicia. — Verborum coniunctiones ex Horatio hae desumptae esse videntur: in v. *bracchia vinculis dare* ex Hor. I. 37. 20 *catenis dare.* Haud secus verba ***pulvere sordidus*** et in v. 120 et Hor. II. 1. 22 *non indecoro* ***pulvere sordidos*** occurrunt et ad locutionem in v. 107 *sub pedibus ponere* conferri licet versus carminis eius, in quo de Nearcho exitum pugnae de se commissae aequo animo exspectante inter Pyrrhum et feminam quandam (cf. III. 20. 2

Gaetulae leaenae), cuius proelii Nearchus praemium est, Horatius dicit III. 20. 11 *arbiter pugnae posuisse nudo sub pede palmam*, scilicet quia nec victorem nec victum curat. — Voces aliquot eodem more, quo Horatius adhibuerat, fabulae scriptor usurpavit velut in v. 158 *Sarmata* ***frigidus*** et in v. 125 ***gelidus*** *Dolops*, cf. Hor. III. 24. 11 ***rigidi*** *Getae* et IV. 5. 25 ***gelidum*** *Scythen.*

Pariter usus vocis *certus* idem est in v. 161 *Parthus Gnosiacis certior ictibus* et apud Horatium I. 12. 23 et soror Apollinis ab utroque poeta Delia vocatur in v. 150 et IV. 6. 34.

Hercules Oetaeus.

II. canticum v. 583—705 anapaesticum.

Hoc canticum divisum est in partes duas, quarum una de Oeneo rege Calydonis, altera de periculis vitae et de securitate modicae fortunae agitur. Atque in priore parte chorus Oenei casum deflet, cui se fidum mansurum esse adfirmat v. 601; nam omnes regum amicos (hoc iam in parte altera est) falsos esse v. 604—639 vel propter ambitionem v. 616—620 vel propter pecuniae cupiditatem v. 621—625 vel ut magna praedia accipiant v. 627—636 vel ut adversarios suos opprimant. Qua de causa mediam fortunam esse optimam v. 636—670 ideoque expetendam v. 693—699, omnes vero, qui media via decessissent, ipsos sibi nocuisse, cuius rei testes esse Phaethontem v. 675—682 et Daedalum v. 683—685. — Iam natura alterius partis fieri non potuit, quin multis ex partibus cum carminibus eiusdem sententiae Horationis cohaereret. Profecto uno exemplo in v. 598 excepto *(et* ***spiciferae*** *concessa deae*, cf. Hor. carm. saec. 30 ***spicea*** *donet Cererem corona)* imitationes et sententiarum et singularum vocum tam arte inter se coniunctae sunt, ut separatae tractari nequeant et vicissim ex imitatione sententiae et vocabula atque ex vocabulis adsumptis et sententias retentas esse optimo iure coicias.

Primum poeta v. 604 - 613 manifeste Hor. II. 10. 7 *Auream quisquis mediocritatem* etc. respicit, nam praeterquam quod eas ipsas voces *aula* in v. 695 et *invidia* in v. 613 retinuit, descripsit etiam rem, qua aula invidenda fit, scilicet magnam salutantium frequentiam, qua invidia suscitatur. Idem in v. 621 sq. *cupit hic* ***gazis*** *implere famem* etc. aperte significat Hor. I. 29. 1 *Icci, beatis nunc Arabum invides* ***gazis,*** manifesta simul vocis imitatione. Forsitan poetae in v. 623 *nec tota* ***sitim*** *— Lydia vincit* in mente fuerit Hor. epod. 15. 20 *tibique* ***Pactolus*** *fluat*, quod iam in proverbium abierat.

In v. 627—631 vel voces certo ordine ex Horatio desumptae addu-

1.

cunt ad Horatium II. 2. 9—12 *Latius regnes* ***avidum*** *domando — spiri-*

2. 3.
um, quem ***si Libyam remotis*** — ***Gadibus iungas*** *et* ***uterque***
3.
Poenus — ***serviat uni,*** cf. v. 627 *nec* ***si totus serviat Hebrus*** —
2. 1.
ruraque dives iungat Hydaspes — (631) ***avidis,*** *avidis natura parum est.* Ad v. 632—636 conferas Hor. III. 16. 39—42 *Contracto melius parva libidine .... campis continuem.* — In ea cantici parte, quae de beata pauperum vita est, versus 645—644 ***caespes*** *Tyrio mollior ostro* — ***solet impavidos ducere somnos*** admonent Hor. III. 1. 21—24 ***sommus agrestium*** — ***levis virorum*** . . . *zephyris agitata Tempe* et II. 15. 17 *nec fortuitum spernere* ***cespitem*** — *leges sinebant* et II. 16. 15 *nec* ***leves somnos*** *timor aut cupido* — *sordidus aufert.* Item in v. 646—647 ***aurea*** *rumpunt* ***tecta*** *quietem* — *vigilesque trahit purpura noctes* eandem sententiam invenimus atque in Hor. II. 16. 9—12 *non noctes eandem* . . . ***laqueata*** *circum* — ***tecta*** *volantes*; cf. etiam Hor. II. 18. 1 *Non ebur neque* ***aureum*** — *mea renidet in domo* ***lacunar.*** Versus autem 652—656, maxime 655—656 *carpit faciles vilesque cibos,* — *sed* ***non strictos respicit enses*** ex Horatio de eadem re dicente III. 1. 17 sq. ***destrictus ensis*** *cui super impia . . . dulcem elaborabunt soporem* etc. sumptos esse iam Mitscherlichius vidit. — In vers. 683—685 ipsa locutio ***dedit nomina ponto*** in v. 685 et 689 prodit poetam imitatorem Horatii de eadem re iisdem verbis dicentis IV. 2. 1—4 *Pindarum quisquis studet aemulari ....* ***daturus*** — ***nomina ponto.*** Item antithesis vere Horatiana in v. 690 et comparatio in versibus, qui sequuntur, vitae et navigationis admonet Hor. III. 21. 61 sq. *addant avaro divitias mari: tum me biremis praesidio scaphae* (cf. 695 *phaselos*) — *tutum per Aegaeos tumultus* (cf. *magna aura* et *medium scindere pontum*) — ***aura*** *feret geminusque Pollux.*

Mirum est et poetam huius fabulae et Horatium III. 2. 29 semel tantum vocabulo *phaselos* usum esse. Denique v. 697—698 *transit tutos Fortuna sinus* — *medioque rates quaerit in* ***alto*** adumbrati esse videntur ex Hor. II. 10. 1—4 *Rectius vives, Licini, neque* ***altum*** . . . . . *semper urgendo* etc.

Hercules Oetaeus.

III. canticum v. 1031—1130 glyconeum.

Hoc cantico omnia mortalia esse chorus docet illustrato Orphei exemplo, cuius cantus, quantum potuerit cum in terra tum apud inferos, magna cum abundantia celebratur. Optimam vero Horatii expilandi occasionem, quod ad imitationem et argumenti et singularum locutionum et vocum pertinet, poetae fuisse iam Zingerlius contendit, quam rem ita se habere demonstraturus primum omnes locos Horatianos, quibus poetam de Orpheo aut occultius usum esse constat aut quos quidem eum ante

oculos habuisse aliquo iure coicere licet, congeram, deinde singulas voces et locutiones ex aliis locis Horatianis desumptas adnotabo.

Loci Horatiani, quibus potentia cantus in rerum natura celebratur, sunt hi: de Orpheo epist. II. 3. 393 et I. 12. 7—12, ubi de silvis, ventis, fluminibus, feris cantu mitigatis disseritur; de Mercurio c. III. 11. 13—14 et 21—24, qui potestatem silvarum, ferarum, aquarum apud inferos habere dicitur; de Amphione III. 11. 2, epist. II. 3. 395, quem saxa cantu suo movisse narrant Maximam igitur earum rerum, quae cantu commoventur, varietatem praebet locus, qui est de Mercurio III. 11. 13—14 et 21—24 et revera, quod sum demonstraturus, eo maxime usus est poeta sed ita, ut etiam alios, quos supra commemoravi, locos non repudiaret. Sed optimum esse videtur locos et Horatianos et poetae inter se connexos adscribere. — Itaque versus 1045 *et **silva** residens venit* cum sensu tum voce adhibita indicat Hor. I. 12. 8 *unde vocalem temere insecutae Orphea **silvae;*** cf. etiam I. 24. 13. Pariter res se habet v. 1036 sqq. *illius stetit ad modos — **torrentis rapidi** fragor* etc. coll. Hor. I. 12. 9 *arte materna **rapidos** morantem — **fluminum** lapsus*, cf. III. 11. 14 *an potes **rivos celeres** morari.* Deinde v. 1052—1053 *et **quercum** fugiens suam — ad vatem properat Dryas* coll. Hor. I. 12. 12 *auritas fidibus canoris — ducere **quercus.*** Memorabile est, quam occulte expilaverit poeta Horatium hisce

1.

versibus 1068—1070 ***haesit non stabilis rota — victo languida***

2.

turbine, — increvit Tityi iecur, cf. Hor. III. 11. 21 (teste Zingerlio)

1. 2.

*quin et **Ixion Tityosque** vultu — risit invito.* Verba ***Tityi iecur*** mutuatus est ex Hor. III. 4. 77 *nec **Tityi iecur** reliquit ales.* Versibus 1081—1082 *et vinci lapis improbus — et vatem potuit sequi* alludit Hor. epod. 17. 68 *optat supremo collocare Sisyphus — in monte saxum*; cum v. 1048 — 1051 *abrumpit scopulos Athos — Centauros obiter ferens — et iuxta Rhodopen stetit — laxatam nive candidus* fabulam de Amphione (cf. III. 11. 2 et epist. II. 3. 395) adhiberet. Versus 1093—1096 *leges in **superos** datas, — et qui tempora digerit — quattuor praecipites **deus — anni disposuit vices*** adumbratos esse puto ex Hor. I. 12. 13—16 *Quid prius dicam solitis parentis . . . qui mare et terras **variisque mundum — temperat horis.***

Imitationum singularum locutionum et vocabulorum exempla exceptis iis, quas iam attuli, haec sunt adferenda, quae iam Zingerlius invenit; in v. 1051 ***nive candidus*** (quod propter manifestam imitationem praefero lectioni Leonis *laxata nive cantibus)* certe repetitum est ex Hor. I. 9. 1. *Vides ut alta stet **nive candidum** Soracte;* cf. et III. 25. 10 *Hebrum prospiciens et **nive candidam** Thracen.* Deinde in 1091 *quaerens **flebilibus modis,*** quocum conferas Hor. II. 9. 9 *tu semper urgues **flebilibus modis*** etc. Equidem ad v. 1100 *vati credere Thracio* significationem Orphei

ut Thracis hominis ex Hor. I. 24. 13 *Threicio Orpheo* ortam esse mihi verisimillimum esse addiderim.

Hercules Oetaeus.

IV. amoebeum chori et Herculis v. 1133—1336 anapaesticum.

Haud ambigam, utrum argumentum primi cantici chori v. 1151—1160 ex Horatii an Vergilii carminibus sumptum sit. Horatianam imitationem subesse hanc ob causam putaverim, quia Horatii carmen III. 4 et de Gigantomachia est et eadem nomina exhibet et eandem de montibus congestis fabulam eodem ordine, quo scriptor huius fabulae usus est praebet. V. 1152—1159 *nunc Thessalicam* ***Pelion*** *Ossam — premet et Pindo congestus* ***Athos*** *— nemus aetheriis inseret astris; — vincet scopulos inde* ***Typhoeus*** *— et Tyrrhenam feret Inarimen; — feret* ***Aetnaeos*** *ad caminos — scindetque latus montis aperti — nondum* ***Enceladus*** *fulmine victus;* cf. Hor. III. 4. 52 sqq. *fratresque tendentes opaca —* ***Pelion*** *imposuisse Olympo. — Sed quid* ***Typhoeus*** *et validus Mimas et quid minaci Porphyrion statu, — quid Rhoetus evolsisque truncis —* ***Enceladus*** *iaculator audax* etc. et v. 75 sq. *nec peredit impositam — celer ignis* ***Aetnam.*** Sed quod poeta Inarimen seu Aenariam nominat eamque Typhoeo, Aetnam Encelado impositam esse dicit, adhibito iam vocabulo *caminus*, quod Vergilio nemo saepius usurpavit, melius versus 1155—1164 sumptos esse dicemus ex Verg. Aen. IX. 715—716 *tum sonitu Prochyta alta tremit durumque cubile* ***Inarime*** *Iovis imperiis imposta* ***Typhoeo;*** item v. 1157—1164 ex Verg. Aen. III. 578—580 *fama est,* ***Enceladi*** *semiustum fulmine corpus — urgeri mole hac ingentemque insuper* ***Aetnam*** *— impositam ruptis flammam exspirare* ***caminis.*** — In canticis et secundo v. 1207—1217 et tertio v. 1279—1289 nullum exstat imitationis Horatianae exemplum excepta fortasse locutione in v. 1207 ***viden ut*** collato versu Hor. I. 9. 1. ***Vides ut*** *alta stet nive candidum Soracte.*

Hercules Oetaeus.

V. canticum v. 1518—1605 sapphicum adonio clausum.

Hoc in cantico, quo chorus Solem, ut toti terrarum orbi obitum Herculis nuntiet, orat atque a Iove petit, ne, quae hominibus noceant, procreentur aut Hercules liberator malorum in terras redeat, pauca quidem, sed memorabilia imitationis Horatianae signa me invenisse puto. Itaque ut de appellatione Solis in v. 1517 *decus mundi*, quae similiter in Hor. carm. saec. v. 2 *lucidum caeli decus* de Luna usurpata occurrit, taceam, aperta imitatio et sententiae et singularum vocum adnotanda est in v.

1

1525—1527 *dic sub aeternos properare* ***manes*** *— Herculem et* ***regnum***

2. 4.

canis inquieti, *— unde non umquam* ***remeavit*** *ullus* (R. Peiperus),

qui haud obscure adumbrati sunt ex Hor. I. 4. 16—17 *Iam te premet*
1. 2. 3.
nox fabulaeque ***manes*** *et* ***domus exiliis Plutonia;*** *quo simul* ***mearis*** etc. Adde imitationes minoris momenti in v. 1538 *Thraciae si quis Rhodopes alumnus* coll. Hor. III. 25. 12 *pede barbaro lustratam Rhodopen* et quam locutionem iam Zingerlius p. 19 adnotavit, in v. 1546 *et* ***comas nullo cohibente nodo,*** qua poeta manifestus coarguitur imitator Hor. III. 14. 22 ***murreum nodo cohibente crinem.*** Accedit imitatio sententiae in v. 1550—1551 *Vadis ad Lethen Stygiumque litus, — unde te* ***nullae referent carinae,*** cf. Hor. II. 18. 34 sq. *nec satelles orci — callidum Promethea —* ***revexit*** *auro captus.* Denique locus, ubi imitatio Horatiana ad versus poetae, an genuini sint necne, aestimandos aliquantum adferre videatur, est v. 1576—1580, quorum versuum argumentum poeta ex Horatii carmine IV. 7 ita sumpsit, ut versus hoc modo inter se respondeant: v. 1576 et 1578 *vere dum flores venient tepenti — vel* ***comam silvis*** *revocabit aestas* et Hor. IV. 7. 1—2 *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis —* ***arboribusque comae;*** deinde v. 1579 ***pomaque autumno*** *fugiente cedent* et Hor. ibid. v. 9—11 *ver proterit aestas — interitura, simul* ***pomifer autumnus*** *fruges effuderit et mox — bruma recurrit iners,* quae Horatii de hieme verba et manifesta imitatio huius carminis exstans in v. 1577 et *comam silvis hiemes recident,* quem R. Peiperus in Z. f. G. W. XVIII. (1846), p. 333, insulsum interpolamentum delevit, genuinum et post versum 1579 reponendum esse postulant, ut hic ordo versibus Horatii respondens fiat: v. 1576 *(vere dum flores venient tepenti),* 1578 *(et comam silvis revocabit aestas),* 1579 *(pomaque autumno fugiente cedent),* 1577 *(et comam silvis hiemes recident);* cf. Hor. IV. 7. 9—11
1. 2.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas — interitura, simul —
3. 4.
pomifer autumnus fruges effuderit et mox — bruma recurrit iners. Submolestam iterationem *et comam silvis* vix quisquam in hisce tragoediis gravabitur.

Hercules Oetaeus.

VI. canticum v. 1983—1996 anapaesticum.

In hoc cantico, quo chorus immortalitatem virtutis praedicat et Herculem precatur, ut in caelum receptus mundum a malis conservet, versus alterius partis 1983—1984 *Numquam* ***Stygias*** *fertur ad* ***umbras*** *(undas?) — inclita virtus* et sententia et vocabulis adumbrati sunt ex Hor. IV. 8. 25 *ereptum* ***Stygiis fluctibus*** *Aeacum — virtus . . . divitibus consecrat insulis,* cum in altera parte Hercules a poeta cum Iove pariter atque Augustus ab Horatio I. 12 comparetur; sed conferas ipse v. 2005—2006 *fortius ipso genitore tuo —* ***fulmina mitte*** et Hor. l. c. v. 59—60 *tu parum castis inimica* ***mittes — fulmina*** *lucis.*

Imitatio Horatiana in Octavia.

In canticis chori huius praetextae multo minor est numerus eorum locorum, qui ex imitatione Horatii orti sunt, quam in singulis Senecae tragoediis, fortasse quod argumentum fabulae adeo in historia rerum ipsius Neronis consistit, ut vel antiquorum temporum recordationem aut usitatas sententias procul removeat; sed cum poeta ad pristina tempora, quod raro fit, respicit aut cogitationibus vel de amoris potentia vel de imbecillitate fortunae sublimioris vacat, manifesta imitationis Horatianae indicia adparent.

